Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Georg Braudlacht

Epitome Iurisprudentiae Publicae Universae : Eiusdem Methodum, Materiarum Sub Eadem Contentarum Dispositionem, Definitiones, divisiones, &c. (prout plenius aliquando pertractandae sunt) breviter & nervose exhibens

Erfurdiae: Erfurdiae: Bircknerus: Wittelius, 1622

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn817498826

Druck Freier Zugang

~~Al. XVIII 16~~

35. 16.

Jc-3206 1-3

Sum Albertj Willebrandi Rost: Mag: ao 1631 mense septemb: Witeb.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn817498826/phys_0002
DFG

Ex Testamento Willebrandiano.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn817498826/phys_0003
DFG

EPITOME
JURISPRUDENTIÆ
PUBLICÆ UNIVERSÆ.

EJUSDEM

METHODUM, MATERIARUM SUB EADEM CONTENTARUM DISPOSITIONEM, DEFINITIONES, divisiones, &c. (prout pleniùs aliquandò pertractandæ sunt,) breviter & nervosè exhibens,

Conscripta & Præmissa
à
GEORGIO BRAUDLACHT
Wesiph.

ERFURDIÆ
IMPENSIS JOHANNIS BIRCKneri Bibliopolæ, Typis Philippi wittelii.

ANNO M. DC. XXII.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn817498826/phys_0005
DFG

GENEROSORUM ET MAGNIFICORUM DOMINORUM Theodorici & Johannis Behr/ Reverentissimo & potentissimo principi Brunovicensi & Luneburgunsi à consiliis secretioribus, Illius in Ducatu Grubenhagensi proprincipis, & hæreditarii in Stellicht/Heussingen/&c. Hujus in aula Cellensi prætoris summi, arcis Ahldensis satrapæ, hæreditarii in Hoya Drackenburg/&c. Filiis, avitarum paternarumq; virtutum æmulus & imitatoribus

DN. { Johanni / Friderico / Johanni Friderico } Behrn.

Fratribus & Patruelibus, amore, ore, re, se invicem amplexantibus.

Hancce suam Jurisprudentiæ publicæ Epitomen

dedicat & offert

Georg. Brautlacht. Westph.

Bibliotheca Academiae Rostochiensis

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn817498826/phys_0006
DFG

QUod vobis, Nobilissimi domini Primitias hasce meas, præ aliis offeram, variæ me adigunt rationes. Namq; ut etiamnum illam, mellitissime Johan-Friderice, quæ te concernit, dum Generosi Dn. Parentis consilio & voto studiis tuis Præpositus, præteream, nec non eas Nobilissimi Johannes & Friderice, Patroni & favitores colendi, quibus vobis, vestræq; familiæ meritò sum obstrictus, silentio involvam; unicum hoc, quod me ad præsentis rei ausum impulit, est vestra erga literarum studia, & virtutem, nobilitatis animam, industria & indefessa diligentia; Et quidem nec immeritò recte enim & vos arbitramini, nobilitatem, non solùm quasi hæreditariè à nobilibus parentibus in liberos propagari, sed demum etiam virtute literarumq; scientiâ condecorari; Quæ sanè sententia uti veritati est propinquior ita quoq; apud vos tantos egit radices, ut ulteriori recommendatione egere non videatur.

Verum enimverò, virtus quâ vera & nobilitas acquiritur, sustentatur & conservatur, non tantum ex militari prudentia, fortitudine, animi magnitudine, propterea quod magnum sit, & nobilitate dignum, mortem contemnere, ac pro dignitate & salute omnium vitam libenti animo & infracto pectore profundere, nec ullum patriæ periculum vitæ denegare, dependet; sed præterea etiam tantundem in nobilitate operatur togata virtus quæ ex literarum studiis hauritur, cui nec minus, quam priori Nobilitas invigilare debet.

Cum autem literarum studia, (quorum modo fecimus mentionem) varia esse cuivis constet, eaq; tam prolixa tamq; latè patere, ut (nedum omnia) unicum saltem, diligens & sedulus indagator, perfectè absolvere vix possit, Ideoq; delectus hic habendus, ne animum ad singula intentum distrahamus, & rei nulli ineptum reddamus; In hoc sanè delectu habendo

non

non aberrabimus, si scopum, ad quem nos studiis uostris collimamus, probè investigaverimus, is verò in salute quin consistat, nemo dubitat.

Salus nostra quam in hac & altera vita speramus precamurq3, sine qua nec homini, nec mundo bene erit, triplex ut plurimùm occurrere videtur; Prior est salus cælestis animarum, altera salus Reipublicæ, Tertia salus corporis humani; Omnis hujusce salutis recordatio admodum jucunda est, isti nec minus necessaria & utilis; ita ut exinde, animæ nostræ requiem, corpora sanitatem & omnis generis commoda fructusq3 percipiant.

Cæterum quibus mediis hanc triplicem salutem consequamur, cuivis etiam scitu necessarium esse duco. De priori cæsti scilicet, utpote, quam sinceri Theologi, Ecclesiam contra hæreticos propugnando, verbum Dei purum concionando, promovent, ut & posteriori, circa quam præservandam vel restituendam, occupati sunt

medici, hoc loco, brevitatis gratia, nil amplius dicemus. Altera, sive Reipublicæ salus, ut procuretur, ejusdemq; calamitates non solum evitentur, sed & incidentes, quoq; propulsentur, post Principes magistratusve nobilium imprimis, eorumq; curæ subjacet, qui iis artibus instructi, quibus Respublica defendi conservariq; potest; Nam cum non nobis saltem nati simus, sed natura nos ad reliquos homines, juvandos impellat, & suscitet, is videtur se ex omni parte cummodum præstitisse, cujus studium magnis in rebus erga Rempublicam prospectum fuerit.

Artes autem & studia, quibus viri nobiles aliiq; defensionis suæ viribus confisi, res publicas lapsas erigunt, fatigatas reparent, &c. non solum in eo consistunt, ut Præliis vulneribusq; patriam salvent, nec præterea adhoc sufficiunt, manes quorundam speculationes, in scholis nonnullis usitatæ, quæ sanè ne minimum quidem utilitatis

utilitatis Reipublicæ afferunt, sed hîc adsit Politica civilisq; prudentia, necesse est.

Hanc civilem, Politicamq; prudentiam, absolutis humanioribus, è saluberrimis Politicorum traditis, historiarum monumentis, & juris civilis hodierni, in usu & praxi consistentis, fundamentis, haurimus. In Politicis exstant scripta innumerabilia. In historiis ferè incomprehensibilia. In quibus tamen quis delectus habendus, temporis ratio non admittit, ut pluribus perstringam. Jus nostrum hodiè sese offert duplex Publicum & Privatum, hujus exstant volumina sinuosa, præterea etiam compendia, quorum ope, ejusdem fundamenta assequi licet. Illius publici scilicet ante paucos annos nulla ferè habebatur ratio, hodie in academiis, optimâ ratione, proponi cæpit, & prodiere hactenus discursus non condemnendi; Qui cum indies crescunt, & paulatim, augentur, in posterum, nil amplius studiosi juvenes in eo desiderare posse videntur, quam ut ea quæ

fusè & prolixè hinc inde exstant, methodica systemati & tractatui (quo facilius cum privata conjungi, in salutem Reipublicæ tam hæc quam illa secundum præscriptum Justiniani primò levi ac simplici via, post diligentissimâ & exactissimâ interpretatione, tradi & cognosci posset) includantur.

Et quamvis, ingenuè fatear, mearum hoc virium nondum esse, ut tale quid aggredi possim, præsertim cum rerum prudentiâ, multorumq; auctorum lectione, adhuc destituar, nihilominus tamen cum neminem, huic rei qui manum injecerit hactenus viderim, aleam jeci, & memoriæ gratiâ ea congessi, ad quæ reliqua, si quæ adhuc apud graviores exstant autores, non cum magno labore, ordine conferri possunt. Ex hisce Nobilis. Dni, primitias hasce, & præsentem Epitomen, summatim quasi excerpere, eamq; vobis offerre visum mihi fuit, tum ut & vobis & aliis, compendii loco sit, cum etiam, ut methodum,

methodum, quam ita meditatus, aliis examinandam, & ulterius emendandam traderem. Quem quæso laborem suscipite, & si libet suo tempore percurrite, meq; & mea studia, promovere non desistite, nec dubium, quin ex eo ad graviora alacrior reddar. Valete. Datam Jenæ 27. Novemb. Anno 1621.

AD LECTOREM BENEVOlum & candidum.

PRÆFATIO.

QVæ in limine seu inscriptione horum libellorum Pollicitus, benevole & candide lector, scilicet *me epitomen & methodum Juris prudentiæ publicæ universæ* propositurum, iis, me satis fecisse quilibet candidi & sinceri Pectoris judicabit. Quantum enim fieri potuit, *omnes materias*, quæ sub Jurisprudentiæ publicæ jamjam renascentis, nomine &

methodo pertractandæ sunt, in unum quasi fasciculum collegi, & libellis præsentibus dispositi, quod ante hac *à nemine* fuisse plenissimè effectum, ea quæ hactanus prodiêre scripta & auctores omnes, quoscunq; tandem mihi pervolvere licuit testatum reddunt.

Sin quis *brevitatem* opusculi forsan incusabit, ipsorum libellorum nomine & inscriptione refutatur, *epitomen* etenim & *methodum*, non etiam plenariam Synopsin vel tractatum (quem tamen divinâ favente gratiâ, eadem methodo institutum & Plenius elaboratum, si Deus vitam & occasionem concesserit, suo tempore subsecuturum, promitto) conscribere & præmittere volui; eam autem epitomes & libellorum institutionum esse naturam, ut non omnia, sed Principia saltem & fundamenta, rerum sub universali arte contentarum in se contineant, cuivis constat.

Methodum si quis & ordinem non benè obſervatum cenſebit, ejus correctione me libentisſime tamdiu ſubmitto, *donec meliorem & concinniorem tradat.* Interim ſciat, me tum *primò* auctorem quendam qui materias ad Juris prud. publ. pertinentes, generali libello incluſerit, & methodice pertractarit; nec hactenus vidisſe nec reperire potuisſe. Sunt equidem & exſtant tractatus & diſcurſus in hoc jure, celeberrimorum virorum, aurei ſanè & ſumma diligentia elaborati, ſed qui univerſalem hanc prudentiam ordine complecti voluerit nemo ex iiſdem mihi hactenus viſus fuit, tum etiam *ſecundo* perpendat difficulter hujusmodi practicas diſciplinas methodo logicæ & accurratæ includi, ita ut ubi multum diuq; diſpoſueris, & maxime canones logicos omnes applicâris, potius tamen fragmenta eſſe dixeris, quam methodum veram, & perfe-

ctam natura enim in quavis arte & disciplina certior dux est, & potiùs disciplinæ tractandæ naturam, quam artem inspicere oportet. Tali etiam modo, me progressum in præsentibus libellis, quilibet à quo procul affectus, & invidia judicabit, in iis enim ut plurimum rei pertractandæ naturâ inspectâ 1. *Jurisprudentiam* Publicam ipsam 2. ejusdem *objectum* & demum 3. objecti *originem* sive *constitutionem*, 4. *propagationem*, *conservationem*, quæ ex optima *administratione* & regimine tum *ecclesiastico*, cum *politico* dependet, tandem etiam 5. contrariam *diminutionem* & *everfionem*, ostendi.

Cur autem epitomen & exiguam hanc lucubrationem præmittere voluerim, impulit eò me, *tum* amor & affectus. Erga hanc Jurisprudentiæ partem, quam præmissis Politicorum lectionibus, & historiarum

monumen-

monumentis, eidem plurimum inservientibus, non minus, quam reliquam Juris prudentiæ Privatæ partem, cuilibet, Jcti nomine digno, semper ut necessariam esse duxi, ita quoque & ego simul cum iis summa industriâ eam prosecutus sum. *Cum* etiam officii mei ratio, quâ præsertim nobili juventuti, aliisque Prudentiæ hujus amplissimę cultoribus per compendia viam aperire volui, ut scilicet præmissis hujusmodi & similibus libellis, universi studii prægustum haurientes eò facilius & quidem majori cum fructu, tandem graviores in eo exstantes discursus & tractatus adire & pervolvere possent. Sin etenim in altera Jurisprudentiæ scilicet Privatæ parte, aliisq; facultatibus & disciplinis, non solum juniores, sed præterea etiam viri doctissimi & Prudentissimi, *Epitomen, Isagogen, compendia & institutionum libellos* magni faciunt,

juventuti commendant, proponunt, scribunt, & singulari cum laude enucleant. Quidni etiam in hoc amplissimo studio, quod tot annis, sub cineribus quasi occultatum, & nescio quo fato intra paucos annos renasci cæpit, ejusmodi compendiorum usus laudandus foret?

Hunc itaq; benevole & candide lector, ingenii & judicii mei adhuc exigui, primum brevemq; laborem, pro animi & pectoris candore suscipe, fove, & si placet lege & revolve, quo ipso me ad majora & graviora, si quæ D. T. O M. concesserit, instigabis, suscitabis. Vale. Dabam Jenæ 27. Novemb. Anno 1621.

EPITO-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn817498826/phys_0018
DFG

EPITOMES
Jurisprudentiæ Publicæ universæ

LIBER I.

DE JURE PUBLICO IN GENERE deq; ejusd. objecti, Romano-Germanici Imperii origine & constitutione.

CAP. I.

DE JURE PUBLICO IN GENERE, ejusq; divisionibus, origine & objecto.

I. Omne jus, quo hodiè in imperio Romano Germanico utimur, Est *Publicum* vel *Privatum*. Secundum. §. *Hujus studii. Inst. de just & jur.*

2. De privato jure alibi agitur, juris publici, quod hodie, in usu rerum exstat, Epitomen hoc loco præscribam.

3. Publi-

Definitio. 3. *Publicum* jus est, quod statum & regimen, Imperii Romano-Germanici concernit arg. *d. §.*

4. Consideratur jus Publicum vel absolutè, vel relatè: *Absolutè*, in se ipso, & respectu originis. *Relatè*, respectu objecti.

Divisio. 5. Jus Publicum in se ipso consideratum, est *antiquum* vel *hodiernum*.

6. *Jus Publicum antiquum* rei Romanæ statum, antequàm in modernam formam Imperium redactum concernebat, de quo in Pandectis codice, Novellis, & apud Romanorum Historicos.

7. *Jus Publicum hodiernum* est, quod cum nova Roma in Germaniam translata, in Germanorum Imperio, Sacratissimo introductum & observari cæpit.

Origo. 8. *Origo* juris publici, sive *Principia* ejusdem è quibus deducendum varia sunt, pleraq; autem perstringam. Sunt ergo *communia* vel *propria*.

9. Commu-

9. *Communia Divina* vel *humana. Divina* juris Publici Principia è Sacra scriptura & indubitatis, Prophetarum & Apostolorum scriptis sunt hauriendæ.

10. *Humana* vel è jure gentium vel civilibus & Politicis constitutionibus sunt petenda.

11. *Propria* juris Publici Principia sunt *generalia* vel *specialia*.

12. *Generalia* juris publici principia, ad tria hæc referri possunt. 1. Antiquitatis & historiarum studium. 2. Usum observantiam & experientiam. 3. Jura quædam affinia: qualia sunt *Jus Regalium*. *Jurisdictionis Feudale* è quibus maxima juris publici pars hauriri potest.

13. *Specialia* juris publici principia, dependent vel à *legibus* & *constitutionibus scriptis* vel *consuetudine* & *moribus*.

14. Con-

14. *Constitutiones & Leges scriptæ* specialiter de jure publico latæ, sunt vel *antiqui Romani Imperii*, vel *hodierni Romano-Germanici*.

15. *Antiqui Romani Imperii* sunt præcipuè Lex Regia, & constitutiones corpori juris insertæ.

16. *Lex Regia*, exinde quod tenore illius omnis potestas, à populo Romano in principem collata, dicta. §. *sed & quod Inst. de I. N. G. & C.* Est Imperii populiq; Romani constitutio, qua in & ad principem, omne imperium, potestas, & jurisdictio est translata.

17. Reliquæ *constitutiones corpori juris insertæ*, eodem modo de statu publico Imperii latæ sunt, ut ex multis ff. & c. titulis apparet.

18. *Hodierni Romano-Germanici Imperii* constitutiones, de jure & statu publico latæ, potissimum in Aurea Bulla, & reliquis novissimis Imperii Recessibus consistunt.

19. *Aurea Bulla*, vel ex eo, quod

quod eidem sigillum Imperatoris aureum, quod Bullam nuncupamus, vel quod res & constitutiones aureas in se contineat, sic dicta. Est salutaris Imperii & Imperatoris sanctio, Leges ejusdem fundamentales, circa quas regimen & acta Imperii gravissima expedienda, in se continens, à Carolo 4. Imperatore, imperiiq; statibus anno Christi 1356. Norib ergæ lata. ut innuit *proœm. A.B.*

20. Reliquæ *Imperii constitutiones* ob novos emergentes casus post Auream Bullam latæ, quæ & *Recessus Imperii* **Reichs abschied** dicuntur, sunt communes Reipublicæ, seu Imperatoris & statuum sponsiones ad ipsam Imperii administrationem & gubernationem ab Imperatoribus & Imperii statibus variis in comitiis sancitæ.

21. Constitutiones *non scriptæ*, sunt *consuetudo* & *observantia*, ex quibus non minima etiam juris publici pars haurienda, & magnã in eo habet efficaciam. Tantum de origine juris publici.

22. *Relative* jus publicum con- *Objectum.*
siderari

fiderari dixi, respectu objecti: *Objectum* ejusdem hodiernum est *Imperium Romano-Germanicum*, ejusq; status & regimen.

23. *Imperium Romano-Germanicum* est ultima & suprema monarchia, à Romanis incepta, & virtute Caroli Magni ad Germanos translata inq; hodiernum diem continuata.

24. Consideratur autem ut *universale* vel ut *particulare*. *Universale*, ipsum corpus, cui Imperator, cui caput præest, designat. Ut *particulare* respectu membrorum Imperii consideratur, constat quippe Imperium Germanicum, ex capite & membris. *Jac. Arig. Thuan. histor. lib. 2.*

Utriusq; tam universalis, quam particularium imperii membrorum tractatus absolvitur, videndo, 1. De origine & constitutione. 2. Acquisitione sive modis acquirendi, eosq; in sequent. 3. Ipsa administratione, etc.

CAP.

CAP. II.

DE ORIGINE ET CONSTITUTIONE Romano-Germanici Imperii.

1. Agendo de origine & constitutione Romano-Germanici Imperii, ipsum corpus ab ejusdem membris est discernendum, atq; ita *primò* despiciendum de ejusdem causa efficiente. 2. materia. 3. forma. 4. fine.

2. *Efficiens* sive â qua Imperium nostrum est constitutum, est *principalis* vel *minus principalis*. *Efficiens.*

3. *Principalis* Imperii causa est *Deus minus principalis* sunt Romani & postea ad quos translatum Germanici qui imperii hujus dignitatem virtute sua sunt demeriti.

4. Cum Imperia sine territorio subsistere non possint, per *materiam Romano Germanicum territorium*, in quo tum primitus Romani, cum postmodum & hodie Germani dominati, nuncupo. *materia*

5. Quod

5. Quod cum aliquando fuerit latius aliquando verò angustius, priora tempora, à mediis, media ab ultimis sunt discernenda.

6. *Primis temporibus* Imperium Romanum angustissimum habuit territorium atq; ita è minutissimis principiis tam amplũ fuit constitutum Imperium. *nob. 24. in præf. princ.*

7. *Mediis temporibus* & quidem tempore priorum Imperatorum, Augusti &c. in tantum excrevit, ut Imperium hoc primum & solum fuisse quod post hominum memoriam ab ortu & occasu fines regiminis sui terminasse, scribat Halicarnass.

8. *Ultimis* autem & moderno tempore vix Germaniam proh dolor sartam tectam habet, reliquis omnibus de facto subtractis.

Forma. 9. *Forma* quoq; ejusdem pro diversitate temporum dimetienda. Primis quippe temporibus à Romulo *Regium* fuisse *statum* cõstat, verum Tarquinio superbo Rege ultimo, Regno ejecto *Aristocraticus* factus, qui paulo post

in

in *Democratiam* degeneravit, donec tandem dicta LegeRegia, imperium in unum translatum, *Dominatus monarchicus*, effectus, & in hunc usq; diem RomanoGermanicum Imperium ut summa *monarchia* præluceſcit, quamvis in regimine non parum ſit temperata.

10 *Finis* Imperii RomanoGermanici partim *communis*, partim *proprius*. *Finis*

11. *Communis* eſt tranquillitas hominum, & quæ aliàs utilitates & commoda ex Imperiis&Rebuspubl. proveniunt.

12. *Proprius* eſt verbi divini, & Prophetiæ de quatuor ſummis Imperiis complementum. *Daniel. c. 2.*

Hæc eſt origo RomanoGermanici Imperii univerſi, ſequitur membrorum conſtitutio.

CAP.

CAP. III.

DE *MEMBRIS* ET *STATIBUS Imperii*, *quid* & *quotuplicia* illa sunt.

1. In membrorum Imperii constitutione & origine, videndum *primò* quid & quotuplicia illa. 2. Origo & constitutio.

2. Membra imperii hic nuncupo, Regna, provincias, electoratus, Episcopatus, Ducatus, Comitatus, &c. Civitates, è quibus Imperium constat, & in quibus fundatum, *R. A de Anno 1541. in princ.* Eingeliebde Glieder Käyserl. Mayest.

3. Hæc sunt vel *nobiliora*, vel *minus nobilia*.

4. *Nobiliora* membra hodie alia sunt *exemptitia*. Ut Hispania, Gallia, &c. alia adhuc Imperatoriam Majestatem vel saltem *reverenter* ut Helvetii Belgæ, &c. vel plane *agnoscunt*.

5. Quæ membra imperatoriam majestatem adhuc *agnoscunt*, & onere Imperii sustinent, sunt vel ejusdem *status*, vel *membra in specie sic dicta*.

6. *Status*

6. *Status imperii*, ein Stand des Reichs/ oder Reichsräth/ est præcipuum quoddam Imperii membrum, in matricula imperii comprehensum, in comitiis jus sessionis, & suffragii habens, cumq; Imperatore & reliquis tanquam ein Christlich corpus vnd vorsamblung de salute Imperii deliberat. Ut loquitur *Maximilianus 1. in R. A. de Anno* 1512. passim.

7. Talis autem quispiam sit, probatur & esse desinit variis modis.

8. *Membra in specie sic dicta*, quæ non sunt status, sunt vel 1. Immediata. 2. Mediata. 3. Mixta.

9. *Immediatè* Imperii membra hodiè esse, quæ tamen status propriè non sunt, nec in comitiis comparent, testes sunt *Nobiles* in *Suevia* & *Franconia*, ut & ad tractum Rheni, die freye Reichs vom Adel/ in Schwaben/ Francken/ vnd am Rhein.

10. *Mediata* membra è contra sunt reliquæ provinciæ, communitates, & civitates, quæ inferioribus Ducibus, Principibus comitibus, aliisq; Imperii statibus subsunt, & *Landsassii* dicuntur.

11. *Mixta* Imperii membra hæc nuncupo, quę per se equidem, & personæ suæ respectu, immediata omninò, nonnunquam etiam status Imperii sunt, verum respectu quorundam bonorum aliis statibus subsunt, quales sunt nonnulli Germaniæ *Comites, Barones, Nobiles* & *Civitates liberæ.*

12. *Secundò* status & membra Imperii dividuntur ex matricula Imperii, 1. in classes. 2. in circulos. 3. in quatuorviros, quas divisiones refert *Paurmeisterus* & plurimi alii. Tantum de membrorum Imperii divisionibus.

CAP. IV.

DE STATUUM ET MEMbrorum Imperii *origine* in genere & in specie, eorumq; *efficiente*.

1. Origo

1. *Origo* autem & constitutio statuum & membrorum Imperii ponderanda. 1. in genere. 2. in specie.

2. *In genere*, sciendum, antequam moderni Imperii status & membra esse cæperunt, per Præfectos, Præsides & Proconsules, Provincias civitates &c. Romanos gubernasse.

3. Cum autem Imperium ad Germanos delatum, ut quisq; eò firmius suam provinciam teneret, & majori cum diligentia tueretur, *hæreditariò* & *perpetuò* cum universali territorii jure Imperatores ejusmodi provincias concesserunt, iisq; pro loci occasione, *Ducatus*, *Palatinatus*, *Marchiæ*, *Landgraviorum*, *Comitatus*, vel *Baronatus* nomen imposuêre, unde hodierni *Archiduces*, *Duces*. *Marchiones*, *Landgravii*, *Comites Palatini*, *Comites* &c. existunt.

4. In specie verò de horum statuum & membrorum origine dicendo, præmonendi sum⁹ quod alii sunt *Ecclesiastici* alii *Seculares*.

5. *Ecclesiastici* sunt Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, Prælati, quorum origo, & singulorum constitutio hoc loco expendenda.

6. *Seculares*, vel sub generali vocabulo Principis continentur, vel civitatum & communionum numero adscribuntur.

7. *Principis* vocabulum potissimum sumitur quatuor modis. 1. Strictissimè. 2. Generalissimè 3. Generaliter 4. Stricte.

8. *Strictissimè* principis vocabulum sumitur, pro solo Imperatore Romano, ut in *l. princeps 31. ff. de LL.* & similib.

9. *Generalissimè* à politicis & Ictis sumitur, pro quovis magistratu, ut sub se comprehendat, principes in specie sic dictos, Marchiones comites &c. hinc omnes illi qui majorum feudorum Regalem dignitatem habent principis nomine veniunt, ut videre licet *A. B. Caroli.* 4. passim.

10. *Generaliter* in Germania principes nuncupamus, qui alias ducis titulo veniunt Fürsten/ quales

quales principes & duces. Saxoniæ, Brunovicenses, Lunæburgenses, Marchiones Brandenburgens, Badenses Landgravii, &c.

11. *Specialiter* verò & in specie principis vocabulum nonnullis tribuirur, qui neq; duces, neq; marchiones, sed principes tantum sunt; Qualiter princeps Anhaldinus, subaudus princeps Pedemontium. Sunt deniq; etjam *Comites principis dignitate præfulgentes*, quales Hennebergenſis, & novissimè creatus princeps Imperii, Ernestus comes Holsato-Schaumburgicus. De quorum omnium origine in specie, historici sunt referti, & hoc loco aliquandò agemus.

12. Hosce subsequuntur *comites*, *Barones* & *Nobiles* Imperii, quorum etiam varia sunt genera.

13. *Civitates* autem vel sunt, *liberæ* imperii civitates, vel *provinciales*.

14. *Liberæ* Imperii civitates, sunt nobiles imperii Res-

publicæ, immediato Romano-Germanico imperio subjectæ, ab Imperiali majestate taliter constitutæ, jus sessionis & votorum, (secundum quosdam) in comitiis habentes, quales. Augusta, Noriberga, Ulma &c.

15. *Provinciales* civitates sive municipales sunt aliæ communitates & Respublicæ, electoribus, Principibus, & statibus Imperii subjectæ.

16. Hæ civitates tam Imperiales liberæ, quam Provinciales ex antiquo fœdere vel sunt *Hanseaticæ* vel non sunt.

CAP V.

DE MEMBRORUM IMperii, *causa materiali, formali & finali.*

Materia. 1. *Materiam* Romano-Germanici Imperii constitui supra, totum ejusdem complexum vel orbem Romanum; Eodem modo hoc loco, membrorum Imperii materiam in qua & circa quam occupata, districtum circuitum, territorium &c. dicimus.

2. Terri-

2. *Territorii* vocabulum duplicitet ſumitur, *activè* & *paſſivè*.

3. *Activè* formaliter ſumitur, pro ipſa ſuperioritate, vor die Landesfürſtliche Obrigkeit.

4. *Paſſivè* & materialiter territorium ſumitur, pro terræ ſpacio jurisdictione munito.

5. Hoc poſteriori reſpectu conſideratur vel *in ſe*, vel *reſpectu finium* & terminorum territorii.

6. *In ſe* territorium ſpectatum, vel *magnum* eſt vel *minimum*, experientiâ enim docemur, alios habere territoria *ampla*, immo *amplisſima*, alios *minima* & *minutiſſima*.

7. Reſpectu *finium* de territorio nonnunquam maximæ incidunt controverſiæ, quæ ſunt de *finibus conſtituendis, regundis, probandis &c.*

8. *Forma* triplex, ut ſecundum temporum diſtinctionem in Romano-Germanico Imperio, ita quoq; idem in membris accidere videmus. *Formæ*

9. *Monarchiam* repræſentant, principatus tum eccleſiaſtici, cum

seculares. *Aristocratiam* & *Democratiam*, promiscuè & civitates liberæ Imperiales, & provinciales.

Finis. 10. *Finis* ob quem membra, principes & status Imperii primum sunt constituti 1. In eo consistit ut Imperatori ad clavum Imperii sedenti fideliter adsistant. 2. Ut provincias & principatus sibi assignatos tranquillè regant, & tueantur.

Hæc de origine & constitutione Romano-Germanici Imperii ejusq; membrorum.

EPITOMES
Jurisprudentiæ Publicæ universæ
LIBER II.
DE IMPERII ROMANO-*Germanici Electoratuum & Principatuum* tum *Ecclesiasticorum*, cum *Secularium*, ut & *Rerumpublicarum acquisitione* seu *modis acquirendi.*

Conti-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn817498826/phys_0036
DFG

Continuatio. *Libro priori, de modis constituendi egimus, cum autem in humanis nil tam firmiter fit constitutum, quod non aliquando dissolvatur.* l. nihil tam naturale de R. I. *Ideoq; hoc præsenti videbimus libello, quâ ratione Imperio Electoratibus, Principatibus & Rebuspub. Capite & magistratu carentibus succurratur.*

CAP. I.

DE MODIS ACQVIRENdi, & *Imperatoria electione* in specie.

1. Succurritur autem hujusmodi vacantiæ certis quibusdam acquirendi modis, quapropter 1. Modos acquirendi pertractabimus. 2. Eosdem insequentia.

2. *Modi acquirendi* sunt vel *legitimi*, vel *illegitimi*.

3. *Legitimi* sunt *ordinarii* vel *extraordinarii*.

4. *Ordinarii* præcipuè sunt *electio* & *successio*.

5. *Electionis modus* accommodatus ad Imperii Romano-Germanici statum *triplex* occurrit. *Prior* est Imperatoris & Regis Romanorum. *Alter* electorum, Principum & Prælatorum ecclesiasticorum. *Tertius* viget in rebuspub. & civitatibus tum Imperialibus cum municipalibus.

6. *Imperatoris Romano-Germanici electio* hodiè est *ordinaria* vel *extraordinaria*.

7. *Ordinaria*, quando vacante Imperio, per mortem, resignationem, vel depositionem Imperatoris electores ad electionem Regis Romanorum legitimo modo accedunt.

8. *Extraordinaria*, quando extra ordinem vivente adhuc & nonnunquam consentiente Imperatore Electores Imperii, ad Regis Romanorum futuri in Imperio successoris electionem justis de causis sese accingunt.

9. In Imperatoria electione consideranda. 1. Personæ eligentes. 2. Persona eligenda. 3. Forma & modus eligendi. 4. Electionem subsequentia. 10.

10. *Personæ Imperatorem eligentes* sunt serenissimi Imperii *Electores*, non Pontifex, vel alius quispiam. *A. B. tit. 1. 2.* & seqq. passim. *Personæ eligentes.*

11. Electores hujusmodi sunt *septem tres Ecclesiastici*, Archiepiscopi, Moguntinus, Trevirensis, & Colonienſis; *Quatuor seculares*, Rex Bohemiæ, Comes Palatinus Rheni, Dux Saxoniæ & Marchio Brandeburgensis de quorum electorum origine, dignitate, & in eligendo potestate plenius hoc loco agitur.

12. *Persona eligenda* debet esse *idonea*, ita enim serenissimi Dn. electores jurare tenentur, quod velint secundum omnem discretionem & intellectum eligere Regem qui ad hoc sit idoneus. *A. B. c. 2.* *Personæ eligendæ.*

13. *Idonietas* personæ consistit inhisce potisimum. 1. ut unus eligatur. 2. masculus. 3. natione Germanus. 4. Virtutibus animi & corporis præditus. 5. Ætatis perfectæ. 6. Generis & familiæ nobilis, immo, hodie ad minimum

princeps vel comes Germaniæ 7. potens sit, neve nimis objectus.

Forma eligendi. 14. In *forma* & modo eligendi ponderanda sunt. 1. Quædam antecedentia. 2. Quædam processum electionis concomitantia. 3. Quædam consequentia.

In Antecedentibus. 15. *Antecedentia* processum electionis primò locum & tempus eligendi conspiciunt. *Locus* in quo Imperator eligendus hodie regulariter est *Francofurtum* ad Mœnum. *A. B. tit. 1. §. præterea tit. 2. & tit. 28. §. invenimus.*

16. *Tempus* in electionis processu consideratur duplex 1. Electionis instituendæ. 2. Electionis finiendæ.

17. *Tempus electionis instituendæ* illud dicimus, quo scilicet tempore electio instituì debeat, quod deciditur. *A. B. tit. 4. §. cæterum 2.*

18. *Tempus electionis finiendæ*, seu intra quod electio finiri debeat, sunt regulariter tres menses continui *A. B. tit. 1. §. præterea 18.*

19. Se-

19. Secundo quæ in electione Imperatoria antecedunt, sunt 1. Convocatio electorum zum Wahltag/ & 2. Præstatio salvi conductus.

20. Est autem *convocatio* electorum actus legitimus, quo elector Moguntinus, reliquos Dn. electores, sub certa formâ in A. B. præscriptâ, ad electionem Imperatoriam in civitate Franckfort expediendam convocat. Vid. *A. B. tit. 9. præterea 18. cum seqq. tit. 4. §. cæterum quoties &c.*

21. *Salvi conductus* vocabulum, quamvis varium sit, hic tamen nihil aliud designat, quam publicam & inviolabilem securitatem, à statibus Imperii, electoribus ad electionis actum proficiscentibus, secundum præscriptum A. B. præstandam, quâ mediante securi, & inviolabiles ad locum electionis pervenire, & ad suos redire possunt.

22. Ita ergo convocati electores *comparent*, vel *non*.

23. *Uti comparent, ipsi* vel *per legatos* comparent.

24. Regulariter autem *ipsi* Electores comparere debent in propriâ persona text. *A. B. tit. 28. §. quandocunq; 6.* & quidem Electori non nisi 200. equites inter hos 50. tantùm armatos, Francofurtum introducere licet. *A. B. tit. 1. §. debet autem.*

25. Sin autem Elector justo impedimento detentus venire non potest *legatum idoneum* satisq; instructum mittere potest. text. in *A. B. d. tit. 28. §. quandocunq; 6.* & *c. qui propter 42. §. illud.*

26. Elector itaq; ejusve legatus justo tempore, (uti antea dixi) venire debet, quod si non fecerit, sed tardè ante tamen perfectam electionem, tunc ad eandem in eo statu admittendus, in quo ipsa adventus suo tempore consistit. *A. B. tit. 2. §. postquam autem. 4.*

27. Quod si autem nec Elector ipse veniat, nec legatum mittat, nec se excuset, tunc pro illa vice, voce & voto caret. *A. B. tit. 1. §. Princeps. vers. 21.*

Concomitantibus.

28. *Concomitantia* electionis actum sunt, quod ubi Electores, eorum-

eorumve lagati Francofurtum venerunt, *primò* Publicè in loco quodam conveniant. 2. Missam & sacra celebrant. *A. B. tit.* 2. *in princ.* 3. Juramentum solenni ritu super altare deponant. *A. B. tit.* 2. *in princ. & §. §. seqq.* 4. Serio & diligenter, de electione perficienda deliberent.

29. Quibus præmissis electionis actus succedit, in quo 1. inspiciendum tempus intra quod finiri debeat. 2. Vota ipsa spectanda.

30. In *tempore* consideratur *qualitas* & *quantitas*. *Qualitas* in eo consistit, quod debeat esse *continuum*, & continuò electio fieri debeat. *A. B. tit.* 2. *§.* 2. *Quantitas* temporis includitur spacio 30. dierum intra quod electionem finire debent. *A. B. tit.* 2. *§. præstito.* 3.

31. *Vota* sunt sententiæ electorũ quibꝰ ad scrutiniũ alterius, voluntatem declarent, de persona certa in Imperatorem eligenda.

32. In votis consideratur 1.

ut sint sincera, libera, non coacta, nec prætio empta, item certa, non conditionalia 2. ut colligantur. *A. B. tit. 4. §. cæterum. 2. in fin.*

33. *Colligit* autem Vota Moguntinus elector à reliquis cœlectoribus. *A. B. tit. 4. §. cæterum in fin.* Idq; tum publicè cum secretò, eo ordine, quem præscribit *A. B. tit. 4, §. primo quidem 3.*

34. *Tertiò* vota collecta *conferuntur* & *ponderantur*, ita ut majora & saniora vota prævaleant. *A. B. tit. 2. §. postquam autem 4.*

35. Quâ conclusione pro majori votorum parte factâ, eadem *publicantur*, & novus Imperator *proclamatur*, vel si præsens est in æde divi Bartholomæi sistitur.

Consequentibus. 36. *Consequentia* electionem factam, sunt 1. imperatoria obligatio, quâ per *capitulationem* ad certa quædam juramento obstringitur, à quibus recedere fas illi non est. 2. Privilegiorum confirmatio, quando universis

&

& singulis electoribus privilegia, & quicquid aliàs aliàs contradictione obtinuerunt confirmare tenetur. *A. B. tit. 2. §. & quia de antiqua* 5. 3. Imperii commissio 4. Coronatio, olim triplex Germanica Lombèrdica Romana; Hodiè sola Germanica remansit, *Aquisgrani A. B. tit. 28. §. 5.* Ab Archiepiscopo Colonienſi expedienda, *A. B. tit. 4. §. primò quidem* 3. 5. Varia electorum officia de quibus *A. B. tit. 26. & seq.*

Hæc de ordinaria Imperatoris electione.

37. *Extraordinaria Regis Romanorum electio*, nonnunquam utilis & necessaria, itaut vivo adhuc, eiq; gubernāti successor, qui olim *Cæsar*, hodiè *Rex Romanorum* dicitur substituatur per text. *A. B. tit. 1* ibi quotiescunq; & *Recessus Imperii* passim in quib9 Regis Romanorum fit mentio.

38. Suscipitur autē hæc electio non nisi ob causas gravissimas, præsertim ingravescentem Imperatoris ætatem, impotentiam & similes. Iisq; modis expeditur, quibus

quibus ordinariam perfici diximus ad eum effectum, ut Rex Romanorum in casum vacantiæ legitimus Imperatoris successor existat.

Tantum de electione Imperatoria.

CAP. II.
DE *ELECTIONE ARCHIEPISCOPORUM, EPISCOPORUM* sive *PRINCIPUM GERMANIÆ ECCLESIASTICORUM* altera electionis specie.

1. *Altera electionis species* in Imperio nostro usitata, est electio Principum ecclesiastiarum.

2. Principes ecclesiastices autem sive Archiepiscopi, Episcopi, &c. vel *eliguntur*, vel *postulantur*.

3. *Electio* nihil aliud est, quam personæ idoneæ, ad episcopatum dignitatem vel prælaturam canonicè & legitimè facta solenni optio & vocatio. In hac considerandæ. 1. Personæ eligentes. 2. Persona eligenda.

eligenda. 3. Forma & modus eligendi. 4. Finis, &c. 5. Postulatio. 6. Electio. insequentia.

Personæ eligentes.

4. Eliguntur autem Archiepiscopi, Episcopi & Prælati, non amplius à Pontifice, sed hodie *capitularibus*, potissimum ecclesiæ cathedralis, aliisve, quibus hoc jus legitimo modo, consuetudine, &c. est quæsitum.

Personæ eligendæ.

5. *Eligenda persona idonea*, quæ idonietas consistit in eo 1. ut sit unica. 2. è collegio. 3. Legitimæ ætatis. 4. Vir præstans, doctus, prudens, pius & orthodoxæ religionis. 5. Natalibus illæsus, &c.

Forma eligendi.

6. *In forma* eligendi spectanda hæc duo 1. Tempus. 2. Locus. 3. Modus ipse. *Tempus* in eo consistit, quod electio regulariter fieri debeat ecclesiâ viduata, seu sede vacante *c. ut circa. c. quam sit. c. cupientes. De electione.* Nonnunquam tamen ob gravissimas causas, minorem scilicet ætatem, senectutem morbum &c, Coadiutor vel coadmi-

coadministrator, vivo episcopo eligi eiq; adjungi potest. *c. grandi. de supplend. negligent. clericor.*

7. *Locus* electionis est, in ipsa ecclesia cathedrali.

8. In *modo* ipso eligendi inspicienda 1. Antecedentia. 2. Processus ipse. *Antecedentia* in citatione seu convocatione capitularium potissimum consistunt omnes quippe citandi & convocandi sunt, ad quos eligendi potestas, spectat. *c. quod sicut 28. §. si autem ext. de elect.*

9. Electio ipsa triplex, fit enim 1. Perscrutinium sive suffragia. 2. per compromissum. 3. per quasi inspirationem divinam, uti traditur. in *c. quia propter 42. ext. de elect.* quorum tamen duo posteriores modi, non ita amplius videntur usitati.

Finis & effectus

10. *Finis* electionis est, ut viduatæ ecclesiæ caput, episcopus sive prælatus quæratur.

11. *Effectus* consistit in præsentatione acceptatione, confirmatione,

matione, consecratione & similibus. vid. paulò post.

12. *Postolatio* in subsidium electionis introducta est, ut scilicet ea persona, quæ ob defectum eligi non potuisset, ob graves causas postulationis subsidio juvetur. Puta si agatur de ætate minori, de laico, de illegitimo nato in episcopum eligendo, Hi etenim cum legitimè ob defectum eligi nequeant postulantur saltem. *c. cum in cunctis 7. extra. de election.* atq; ita *postulati Episcopi* dicuntur in eo itaq; postulatio ab electione differt, in reliquis potissimùm convenire videntur. *Postulatio*

13. Post electionem legitimam videndum de electorum *Consequentia*. 1. Confirmatione, quam á superiore petere tenentur. *c. nihil est 44. extra. de election.* 2. Consecratione quæ itidem post confirmationem petenda intra tres menses à confirmatione computandos *cap.* 1. *distich.* 71. 3. Denique dignitatis suæ insigne Episcopi, Romano

Romano Pontifici subjecti tenentur redimere *pallium*, idq; magno pretio. De quibus vanitatibus non immeritò hodie conquerimur.

CAP. III.

DE *ELECSIONE MAGISTRATUUM, Consulum*, &c. In Rebus publicis civitatibus, &c. Tertia electionis specie.

1. *Tertia electionis species*, in civitatibus & rebuspublicis Germaniæ usitata est, quâ soliti suos Præsules, *consules & senatores eligere*. Fit autem electio hæc pro consuetudine cujuscunq; loci, & pro ut *Aristocratica* vel *Democratica* gubernatio introducta, modo à plurib. modo à pauciorib. nulla enim est civitas & Respubl. quæ non peculiaria & arcana habeat, in electione magistratus.

2. *Quales autem personæ eligendæ* ex eadem administrandi forma desumendum, in summa

ma consules sunt eligendi, viri probatæ vitæ, integræ famæ, & bonæ existimationis. Per *l. Sancimus 6. in pr. E. ad l. Jul. repet. nov. 161. c. 1. in princip.*

3. De hisce magistratibus notandum, quod ubi consuetudine aliter introductum non sit, *Confirmatione superioris* non indigeant & quamvis caute facturi, si singulis annis *rationes* reddant iis quorum res administrant. *l. 1. §. officio. ff. de titul. & ration. distr.* Attamen *præsentiam superioris* in eo exspectare nisi itidem, aliud *consuetudo* vel *conventio* introduxit, non tenentur.

Hæc de tribus electionis speciebus.

CAP. IV.

DE *SUCCESSIONE* IN Regnis, Electoratibus, Principatibus &c. Et in specie de *successione descendentium ab intestato* quæq; circa eandem notanda.

1. *Alter*

1. *Alter ordinarius* acquirendi modus *successio* dicitur, quam ex jure hoc nostro speciali, & moderna consuetudine facio *triplicem*. 1. Et quidem principaliter obvenit ex lege vel ab intestato. 2. Testamento sive ultimâ voluntate. 3. Conventione sive pactis & fœderibus hæreditariis, durch Erbverbrüderung.

Successio ab intestato.

2. *Successio* ex lege sive *ab intestato*, quæ & legitima dicitur, nobis ita est, propter excellentiam, quod solâ Legis auctoritate, non attentâ ulla hominis voluntate sive dispositione ad hæredem devolvitur, atq; ita extra casum testamenti, Regni ducatus, &c. acquisitio est.

3. Successio ab intestato *quadruplex* est. 1. Descendentium. 2. Ascendentium. 3. Collateralium, sive fratrum & agnatorum. 4. Fisci vel Imperatoris.

4. De *descendentium electione* primò dicturi, videbimus, quænam personæ ex descendentibus succedere non possint, unde quæ non

non prohibeantur facilè apparebit; Est autem *prohibitio* quatuor modorum. 1. Consistit in nativitate. 2. In sexu. 3. In ordine. 4. *In* ætate. Quibus ita pertractatis liquidò constabit, *quænam personæ succedere possint vel non*.

Spurii.

5. *Primò* itaq; *ob nativitatem* regulariter à successione Regnorum, Ducatuum, &c. arcentur *spurii* id est ex illegitimo thoro nati, qui cum in privatorum hæreditatibus non succedant. *per l. si spurius. 4. ff. unde Cognati.* Quid enim in hac amplissima dignitate.

Legitimati

6. Quid si autem tales personæ, non quidem per rescriptum principis, sed *per subsequens matrimonium legitimati* fuerint, peræq; ac si alii legitimi essent nati, non tam in *allodialibus* & *minoribus feudis*, quam etiam in *feudis Regalibus* eosdem succedere praxis observat.

Adoptivi.

7. Eadem ratione, cum nulla prohibitio exstet, quo minus Reges principes &c. in Regnis &

principatibus hæreditariis filios sibi adoptare possint, non etiam video, quomodo *adoptione* legitimè præcedente, ejusmodi *adoptivi*, non tamen in præjudicium aliorum existantium, succedere dere non possint. *Hippol. de collib. in princip. c. 34.*

8. *Altera prohibitionis ratio è sexu* desumitur. Est autem sexus *masculinus* vel *femininus*, de illo salvâ ordinis ratione dubium nullum est. De hoc fœminino scilicet anxiè disquiritur, An & quatenus *fœmellæ* in regnis, Electoratibus Ducatibus &c. succedant. Quamvis autem non diffitear, fœmellas *ex consuetudine*, nonnullis in Regnis, Germaniæ principatibus & comitatibus succedere non facilè tamen, ubi consuetudo hæc deficit, fœmellæ, ad ejusmodi successionem admittuntur. Quod & *praxis Germaniæ* aliorumq; Regnorum observat.

Fœminæ.

9. *Tertia prohibitionis ratio ex ordine* & modo succedendi desumitur Nam quamvis ex jure communi omnes liberi sunt æquales in successione, & bona æterna inter

eosd. æqualiter dividātur, id quoq; nonnunquam in principatib⁹ & comitat. ex consuetudine divisioni obnoxiis procedat; attamen *divisio* uti res periculosiss. fugienda & soli *primogenito* successio in Regnis, electoratib⁹ & ducatib⁹ relinquēda. Quod tum jus *divinum, gentiū, & politicæ constitutiones* probant, cū etiam & plerunq; regna & elector. cum nōnulles principat. observēt. *Primogenitus.*

10. *Qua primogenitura* ita introductā, reliquis etiam *fratribus*, pro regionis consuetudine, sufficienter prospiciendum.

11. Immò etiam *fœmellis*, cum ex consuetudine, amplissimis hisce successionib⁹, certioratę, in præsentia propinquorum, dote constitutā, nonnūquam etiam juramento interposito *renunciare* soleant, honesta sustētatio, elocatio, ausſtewung/ & quæ huc pertinēt, debētur.

12. *Quarta prohibitio in ætate* succedentium consistit. Cum enim ut antea obtinui solis masculis nonnun quam successio relinquenda, illi autem adhuc *minorennes*, atque ita ad gubernandū inidonei sunt, *minorennes.*

non immeritò, plenaria & cum effectu administrationis successio
Tutores. suspenditur, & *tutores*, iisdem adjunguntur; De qua Regum, Electorum & principum *tutela* multa non injucunda hoc loco pertractanda, sed tetigisse pro instituto sufficiat.

13. *Regibus tutores* jungere periculosum est, hi enim cum ipsimet Regni tutelam in se suscipere debeant, quâ ratione, officio fungentur, si ipsimet, tutore indigeant.

14. *Electoribus Germaniæ* tutor datur ipsâ lege proximus agnatus. *A. B. tit. 7. §. sanè* 1. Qui tamdiu tutoris & administratoris vice fungitur, donec elector *18.* ætatis annũ attigerit, tum etenim tutor resignare tenetur. *A. B. tit. 7. §. sanè 1. in fin.*

15. Reliqui Germaniæ principes & comites *immediatè* Imperio subjecti, *tutores* accipiunt vel *ex testamento*, vel eo deficiente à *Camera Imperiali*. *Mediatæ* autem personæ illustres, à *consistorio* Principis cui subsunt. Ex-

spicet

spirat verò hujusmodi tutela. Ex jure communi anno *ætatis* 25. Verum & consuetudine quorundam Ducatuum contrarium observari videmus.

Eatenus de successione descendentium.

CAP V.

DE *ASCENDENTIUM*, *Collateralium*, & demum *Fisci* in Regnis, Electoratibus, Principatibus &c. *successione.*

Successio ascendentium.

1. Altera successio ab intestato est *Ascendentium*, nam ubi descendentes liberi deficiunt, ad ascendentes successio devolvitur. *Nov.* 118. *c*, 2. Verum horum successio in jure nostro publico non tam frequens occurrit, propterea, quod vivis ascendentibus, parentibus & filii & liberi Regna & principatus possidere rarò soleant; unde quoq; fit, ut Regnum à filio & avum vel patrem non facilè perducatur. Sunt tamen

nonnulli casus in quibus successio hæc locum invenit.

Collaterales.

2. Plerunq; itaq; deficientibus descendentibus hæc successio, ad *collaterales fratres* vel *proximos agnatos* revertitur, iiq; legitimi sunt successores *c. grandi 2. de supplend. negl. prælat. in 6.*

3. Et quidem ita ut si fratrum filii sive patrueles sint soli in *capite*, non in stirpes, si vero, cum patruo concurrerent, in *stirpes* succederent ex constitutione *Caroli 5. comit. spirens. promulgato de anno 1529.*

Fisci.

4. Hisce omnibus non extantibus, *electoratus* quidem Germaniæ ad *fiscum* vel Imperatorem revertuntur, sed tamen ita ut eosdem rursus alii concedere teneatur, ne vota in Imperatoria electione minuantur.

5. Alii autem *ducatus*, principatus, marchiæ comitatus &c. immediatè Imperio subjecti, legitimo hærede deficientes, & vacantes *Imperio incorporantur*, ut patet ex *capitulat. Imperat. Caroli 5. apud Sleidan. lib. 1.*

Hæc

CAP. VI.

DE *TESTAMENTARIA*, in Regnis electoratibus Principatibus &c. *successione*.

1. Altero modo, Regnorum & principatuum successionem testamento deferri supra diximus. Quod equidem mirum cuipiam videbitur, veruntamen si rem optime distinxerimus, non est ut ea de re dubitemus.

2. Reges itaq; principes &c. qui regua & *principatus* possident *hæreditarios*, salvo primogenituræ jure, quodammodo inter legitimos hæredes disponere possunt. *Efficiens.*

3. Reliqui autem quibus *feudalium Regnorum, ducatuum* &c, possessio saltem competit, eodem modo testari prohibentur, *text. in c. 1. in princ. de succes. feud. 1. feudor. 8. & similibus*

4. Hoc quamvis ita sit, nec minus tamen, ac privati (quorum jus testamentorium alibi plenius explicatur) testamentarias Leges observare, & liberos, aliosq; legitimos & proximos hæredes, quibus eadem hæreditas, vel ex jure naturali, gentium vel civili & consuetudine competit, instituere tenentur.

Forma. 5. *Forma* Regum & Principum testamentorum, quamvis eádem necessariò omnibus requisitis jure civili introductis. *l. hac consultissima 21. C. de testam. l. cum antiquitas 28.* & *l. jubemus 29. C. eod* subjacere, (secundum nonnullos) non videatur, Quod in Imperatore Regibus, aliisq; superiorem non recognoscentibus sine dubio procedere, Reliquos autem cautiùs facturos, si solennitatibus observatis, & jure civili introductis testentur, arbitrantur.

Finis & effectus. 6. *Finis* & *effectus* horum testamentorum cum privatorum ultimis voluntatibus eatenus est communis, ut quod testator,

post

poſt mortem ſuam fieri velit, fiat.

CAP. VII.

DE *SUCCESSIONE* PER *pacta* ſeu *fœdera hæreditaria* in Regnis, electoratibus, ducatibus, comitatibus, &c.

1. Ultimus & tertius Regum, electorum, principum &c. ſuccedendi modus reſtat, qui in Germania uſitatus *per pacta* ſeu *fœdera hæreditaria* durch Erbverbrüderung.

2. Pacta hæc, quæ & alia fortiuntur nomina, rectè deſcribuntur conventiones, à duabus pluribusve Illuſtribus familiis, initæ, ſummiq; principis auctoritate confirmatæ, ad hoc ut unâ familiâ, quoad hæredes maſculos extincta, altera eidem ſuccedat & vice verſa. *Quid?*

3. Pacta hæc ſunt vel *univerſalia*, quæ de univerſis paciſcentium principatibus & bonis, alia vero *particularia*, qnæ ſaltem de aliquibus concipiuntur. *Quotuplicia*

4. *Causa impellens* est utilitas & necessitas publica, ad pacem publicam in Imperio conservandam, & rixas de hæreditatibus evitandas.

Efficiens. 5 *Efficiens* in paciscentium familiarum consensu & placido consistit.

Materia. 6. *Materia*, in eo est, quod hæc pacta concipiantur & disponant, de bonis vel universis vel quibusdam saltem, prout tenor eorundem perhibebit.

Forma. 7. *Forma* & modus præluceat. 1. Ex ipso paciscendi. 2. Corroborandi vel confirmandi modo.

8. *Modus paciscendi* in ipsa pactione, seu mutuo consensu consistit, qui variis exprimitur modis.

9. In *modo confirmandi* considerantur tum 1. Personæ corroborantes. Cum 2. modus ipse.

10. *Personæ* pacta hæc *corroborantes* & confirmantes, sunt vel *superiores*, vel *æquales*, vel *inferiores*.

11. *Superior* pacta hæc confirmans, si personæ paciscentes

sint immediatæ ut Romano-Germanico Imperio est *Imperator*, si fuerint mediatæ, alius erit princeps vel dominus.

12. *Æquales* quarum consensus in hisce pactis requiritur, sunt & *liberi & agnati* propterea, quod de eorum agatur præjudicio.

13. *Inferiores* autem sunt *subditi*, quorum etiam consensus necessariò exigitur, ne scilicet inviti, ignotis & alienis dominis subjiciantur.

14. *Modus confirmandi* & corroborandi potissimum duo hæc requirit 1. Juramenti depositionem, ut id est partes juratè promittant, se pacta hæc servituras, 2. Investituram, Imperatoris enim vel alii domini investitura desuper fiat necesse est.

15. *Finis* eorundem pactorum, itidem de utilitate & necessitate publica, pace conservanda, rixis & discordiis evitandis consistit. *Finis.*

Effectus. 16. *Effectus* in variis consistit & plerunq; in ipsis pactis, quænam scilicet operari debeant, exprimitur, præcipuus autem is est ut inviolabiliter serventur.

Contraria. 17. *Contraria* itaque iisdem sunt, si vel violentur, vel utriusq; consensu distrahantur.

Tantum de modis ordinariis acquirendi, qui in triplici electione, & triplici successione consistunt.

CAP. VIII.

DE EXTRAORDINARIis acquirendi modis & in specie per *connubia* & *affinitatem*.

1. Extraordinarii Imperia, Regna, Principatus &c. acquirendi modi præcipui sunt. 1. Per connubia, sive conjugia & modum affinitatis. 2. Emptio-venditio. 3. Donatio, aliave, alienatio. 4. Nova Imperatoris investitura & concessio.

2. *Connubia* Principibus viris nonnun-

nonnunquam esse, utilia & saluberrima, multæ evincunt rationes, quippe quod horum occasione non solum Regna, Principatus & Provinciæ acquirantur, sed proinde etiam, certus successor existat.

3. Qualia autem connubia, Regibus & Principibus viris suadenda, consultatione, indiget, equidem ut ea quæ cum privatorum conjugiis habent communia reticeamus, in quibus tamen ab iisdem discrepent, saltem videbimus.

4. *Singularia* hæc consistunt 1. In gradibus prohibitionis. 2. In paritate & imparitate. 3. In commoditate.

5. *Gradus prohibitionis*, intra quos Reges Principes &c. nuptias contrahere prohibentur partim jure divino, partim naturali & gentium, partim civili sunt introducti. *Gradus prohibitionis.*

6. A nuptiis intra *Gradus jure divino, naturali & gentium* prohibitis, Reges & Principes non secus ac ipsi privati abstinebunt,

ni acerrimam Dei iram in se suscipient.

7. *Jure civili* autem si quæ prohibitio introducta, vel si quæ expresse contra verbum divinum non faciat, tunc, quamvis eædem nuptiæ privatis & subditis non concederentur, in Regibus tamen & principibus ob utilitatem aliquando publicam, *facilior admittendum via* est.

Paritas. Imparitas. 8. Cum secundò nulla connubia sunt fæliciora, quam quæ inter *pares* contrahuntur, in Regum principumve matrimoniis, *paritas* suadenda, *imparitas* autem quantum fieri potest, fugienda, consistit vero eadem tum 1. in animi donis, quæ Religionem unicam eandemq; pietatem, & probitatem, respiciunt. Cum 2. in donis externis familiæ scilicet & potentiæ, ut ejusdem dignitatis familiæ ejusdemq; potentiæ &c. conjungantur.

Commoditas. 9. Tertiò denique; *commoditas* in principum connubiis inspicienda, ut exinde, certior confœderatio, & amicitia principa-

tuum

tuum & provinciarum conjunctio oriri possit. Reliqua in circumstantiis & Politica prudentia consistunt.

CAP. IX.

QVIBUS MODIS *Donando, emendo, vendendo, oppignorando*, aliove modo *alienando*, ut & nova *investitura*, Regna Principatus &c. acquirantur. Quique sint *modi illegitimi*.

1. *Donando, vendendo, oppignorando*, aliove modo *alienando*, sin ubi Regna, principatus &c. transferendi, principes scire debent, se subditos eorunq; dominia, non habere in marsupio, ideoq; nec pro libitu de iisdē disponere posse, sed ubi tales necessitas emergit, quâ per ejusmodi modos Regna & principatus transferendi, tunc cum *subditorum consensu* cuncta peragant principes, jure requirunt.

2. Se-

2. Secundo extraordinariè Principatus Comitatus in Germania acquiri solent, *novâ Imperatoris investiturâ.* Deficientibus quippe legitimis hæredibus, aliisq; acquirendi modis legitimis, Regna, Principatus &c. ad superiorem Dominum, Imperatorem seu fiscum, (ut paulò ante dictum) devolvuntur.

3. Quo casu exstante, Imperator (si Germaniæ statum intueatur) electoratus vacantes rursum infeudare tenetur.

4. Et quamvis aliquatenus constitutum, reliquos Germaniæ principatus, comitatus &c. hærede deficientes Imperio incorporari debere, attamen usu contrarium observari, & Ducatus Comitatusve vacantes, ab Imperatore rursum aliis concedi, edoceemur.

Hi sunt modi acquirendi legitimi.

5. *Modi* acquirendi *illegitimi*, varii esse offerunt, ut plurimum autem *vi* vel *fraude* obtingunt, de quibus cum potius facti sunt, quam

quam juris, nec Principem Christianum deceant, nil amplius dicturi sumus.

Et tantum de modis acquirendi legitimis & illegitimis, restant eosdem insequentia.

CAP. X.

DE IIS, QVÆ MODOS hosce acquirendi *insequi* solent; & in specie, de Principum Imperii *investituræ renovatione*. Eorundem *introductione*, *juramenti* seu *fidei præstatione* à Principe faciendâ.

1. Hosce modos acquirendi, quæ insequi solent, respiciunt *partim* Imperii principes & status, *partim* eorundem subditos.

2. *Principes respiciunt* vel *Imperatoris intuitu*, vel *subditorum gratiâ*. Quæ enim Imperator post electionem expedire tenetur, supra de electione pertractavimus.

3. *Imperatoris intuitu* à principibus

Investiturę renovatio.

cipibus & statibus Imperii *investiturę renovatio* necessariò petenda est.

4. Investitura ab investiendo dicta, ejusdem renovatio nihil aliud est, quàm feudi recognitio, qua id agitur, ut feudum in persona petentis confirmetur & quasi redindegretur.

Quinam eam petant

5. Petitur hæc investituræ renovatio, *ab Imperii* electoribus, ducibus, principibus &c. tum cum vel ipsimet, novi successores, existunt, cum etiam, quando Imperator vel alius dominus mortuus & novus rursum substitutus.

A quo.

6. Petunt eandem Imperii principes, regulariter *ab Imperatore*, si sint feuda regalia, aliquando etiam ab aliis principibus & statibus nonnulli comites &c. feuda recognoscunt, atque ita investituram petere tenentur.

Quando.

7. Petitur hæc investituræ renovatio regulariter ex *tempore mortis* ipsius domini, vel vasalli, qui feudum habuit, sive persona do-

na Domini mutata, sive vasalli *c. 1. quo temp. nul. 1. Feud. 22.* Idq; *intrà annum & diem* innerhalb jahr vnd tag. *per text. in c. 1. quæ fuit princ. causa tenet. & amit. 2. tit. 24.*

8. Debent autem petere hanc investituræ renovationem principes vel vasalli *humiliter, reverenter & obsequiosè*, id est cum honoris præfatione *c. 1. §. nulla per quos fiat, investit.* Idq; secundum *consuetudinem* cujusq; loci. Quo alii principes *cum vexillo*, alii cum *sceptro* &c. investiuntur, unde etiam nomina. Fahnen vnd Scepter-Lehen. *Quomodo.*

9. *Finis* investituræ renovationis in eo consistit, tum ut sit signum reverentiæ, cum etiam ne longinquitate temporis, aut ignorantia vasalli, domino jus suum, quod habet, interveratur. *Finis.*

10. *Effectus* investituræ renovationis principalis est, quod scilicet eà ipsâ jus Vasalligium corroboretur, & princeps sive Vasallus *Effectus.*

Vasallus & possessionis & juris sui, quod habet plenissimam assecurationem accipiat.

Introductio. 11. Hæc Imperatoris intuitu expedienda, *subditorum gratiâ* subsequitur *introductio* die einführ/ & huic annexa *juramenti*, seu *fidei* à parte principis *præstatio.*

12. Imperii namq; principes &c. sive hæreditario more, sive electione principatus, comitatus &c. acquirant; à subditis ut inaugurentur & acceptentur, solennem *introitum* & introductionem instituere solent, Germanicæ die einfuhr. Quæ qualiter instituenda locorum consuetudines ostendunt.

Juramenti seu fidelitatis præstatio. 13. Hanc introductionem non rarò comitatur, *juramenti seu fidelitatis præstatio*, nonnunquam enim consuetudine introductum, ut principes non prius admittantur nisi ipsi *juraverint* subditis; Vel etiam alibi obtinet, ut prius subditi jurent, postmodum verò ipsi principes.

14. Actibus hisce non rarò annexum

annexum video *privilegiorum*, quæ subditis à prædecessoribus concessa *confirmationem*. Non autem de essentia hujusmodi actu requiro *damnatorum* & scelestorum hominum *liberationem*, quam tamen nonnulli, maximopere urgent.

Hæc fuêre, quæ post acquisitionem, novos principes &c. tum superioris & subditorum gratiâ concernunt.

CAP. XI.

DE *JURAMENTO SUBjectionis* sive *homagio* der Huldigung à subditis principi præstando, ut & *juramento, familiaritatis, fidelitatis & protectionis.*

1. *Subditos quæ respiciunt*, potissimum in *juramenti* & fidei *præstatione* consistunt, ut autem varii sunt subditi, ita quoq; varia eorundem existunt juramentorum genera, quibus sese obstringere solent, quæ maximopere in-

tos

inter sese distinguenda, *ne eadem confundendo subditi veri cum clientibus, hi cum vasallis, vasalli cum utrisq; misceantur.*

2. Hinc aliud *juramentum subjectionis*, seu *homogium*, quod veri subditi aliud *juramentum fidelitatis*, quod vasalli, aliud verò *juramentum protectionis* quod clientes præstare solent, esse perhibetur.

Juramentum subjectionis.

3. *Juramentum subjectionis*, quod & *homagium* die Erb- vnd Landes huldigung vocemus, fidelitatis & obedientiæ signum & assecuratio est, quam facit subditus domino territorii, sub cujus jurisdictione habitat.

Qui præstent.

4. Præstant itaque hoc juramentum *omnes subditi* & Langsassii, cujuscunq; sint conditionis & status.

Quibus.

5. Idq; *Dominis & Principibus* qui superioritatem in eo loco habent, & quidem in territorio domicilii sive habitationis, in quo

quo quispiam habitat & larem fovet.

6. *Toties*, quoties est mutata persona Domini seu Principis, sub ea forma quæ consuetudine, seu lege est introducta, si nulla forma exstat, recurrendum ad formulam. *c. 1. qualiter jurare debent, Vasall. fidelitat. 2. feud. 5.* *Quoties & quomodo.*

7. In hoc si subditi graves se præbuerint, competentibus mediis & remediis eò adigi poterunt.

8. *Finis* hujusmodi juramenti, seu homagii est major assecuratio, & fidelitatis præsumptio. *Effectus* autem ejusdem varius est. *Finis.*

9. *Fidelitatis juramentum* ab hoc diversum est, & præstatur, à *Vasallo Domino*, cum investituræ renovationem petit, sub solita & antiqua forma, quam vel ipsi inierunt, vel jus feudale præscribit. *in d. cap. 1. qualitat. Vasall.* nec *subjectionem* inducit, *Fidelitatis.*

sed

sed saltem fidei Vasalligii observantiam & onerum, quæ inde profluunt, præstationem.

Protectionis.

10. Denique adhuc aliud est *iuramentum protectionis*, quod & *clientelare* dicitur, & ex clientela sive protectione proficiscitur, cum plerunq; civitates alterius principis protectioni sese submittunt, de qua, ut & juramento supra eandem præstando, quid operetur vid. infr. *lib. 8. cap. 3. per tot.*

Atq; ita hoc libro fuerunt pertractata ea, quæ circa Imperiorum, Regnorum Principatuum &c. acquisitionem, nobis Imperatoribus, Regibus Printipibus &c. obtingere solent.

EPITO-

EPITOMES
Jurisprudentiæ Publicæ universæ

LIBER III.

DE EFFECTU ACQVIsiti Imperii, Principatuum, & Rerum publicarum.

H. E.

DE MAJESTATE, POTESTATE, *jurisdictione, dignitate, prærogativa, jure privilegiis &c. Imperatoris, Regis Roman. Vicariorum*, Imperii *Principum*, tum *Ecclesiasticorum*, cum *secularium, Comitum &c.*

Continuat. Hactenus de modis acquirendi, sequitur jam *effectus* & quasi fructus, qui acquirentibus Imperatoribus, Regibus, Principibus & magistratibus exinde redundat.

CAP. I.

CONTINET *GENERALIA*, de *origine* omnis *Poteſtatis*, & quatenus Imperator, &c. *Legibus ſit ſolutus.*

1. *Acquiſitionis effectus* conſiſtit 1. in poteſtate. 2. in dignitate.

2. *Poteſtas* hæc vel 1. reſpectu originis. Vel 2. reſpectu ſpecierum conſideranda eſt.

Origo Poteſtatis. 3. *Origo* omnis poteſtatis & jurisdictionis quantumvis omnimodæ & ſupremæ, ex *conceſſione divina, pactis & obligatione*, cum populo ſeu Regni proceribus inita dimetienda eſt, ita ut quantum á Deo, Regnique proceribus Imperatori Regibus &c. lege Imperatorii conceſſum, tantum etiam & non ultra poteſtatem omnimodam extendere poterint.

An Imperator legibus ſolutus. 4. Hæc ſi paulò altius & latiùs examinem, *an & quatenus Imperator ſummique Reges & Principes Legibus ſoluti ſint*, videre licebit.

5. Leges namq; omnes *divinæ* sunt, vel *humanæ*; *Legibus divinis*, Imperator, aliiq; summi Principes, nedum inferiores, soluti nō sunt, ratio est, quia tantā nō concessit, Deus Imperatori & Regibus potestatem, quin eosdem sibi subjectos non retinuerit. *Divinis*

6. *Humanæ* leges aut sunt *naturales*, *aut civiles*: *naturales*, aut sunt *naturales in specie* sic dictæ, vel *Gentium*.

7. *Jure naturæ*, seu Legibus naturalibus Principem quoq; obligari, nullum est dubium, cum jus naturæ, secundum *Blondum* Jctum ipso Principatu & Imperio potentius, immō naturæ jus Dei lex sit. Secundum *Apostolum*. *Naturalibus.*

8. Idem etiām de *Gentium legibus* statuere licet, quibus Princeps non secus, ac alius quispiam tenetur; omnes quippe gentes, quod toto terrarum orbe observant, si summus princeps observare denegaret, summæ esset iniquitatis, *Gentium.*

9. Nec etiam *civilibus Legibus* Imperator noster, aliiq; Principes *Civilibus.*

omninò soluti sunt. Hoc ut appareat, duplicem in principe facimus *respectum*, *absolutum* & *relatum*.

10. *Absolutè* cum Princeps vel Imperator consideratur, aut de Legibus agitur, *à se ipso latis*, aut de *aliis*.

11. Legibus, quas *ipse Imperator* seu summus princeps *tulit*, iisdem quoq; solutus est. *l. Principes ff. d. legib.*

12. Leges *ab aliis latæ*, vel sunt ipsorum Imperatorum, & Regum, vel sunt Leges Imperii & Regni.

13. Legibus Imperatorum & Regum, quas antecessores *tulerunt*, etiam solutus est, propterea, quod par in parem non habeat jurisdictionem vel potestatem. *per l. nam magistratus 4. ff. de recept. qui arbitrium receper.*

14. *Leges* autem *Imperii* & *Regni*, Imperatoris & statuum consensu sancitas, vel à proceribus Imperatori præscriptas, qualis est *capitulatio*. Nequaquam transgredi poterit. 15. Re-

15. *Relatè* Imperator seu princeps consideratur, quatenus Imperium erga alios exercet, sive cum aliis agit. Quo respectu an Imperator vel Princeps summus obligetur. Videndum, an scilicet obligatio quædam intercesserit, vel non.

16. *Si intercesserit obligatio*, ea *vel* Principis, *vel* alterius.

17. *Principis propria obligatio* est *vel* privata *vel* publica. Ab utraq; sive cum subditis, sive cum aliis Regibus & personis contraxerit, nullo modo discedere poterit.

18. *Alterius* quoq;, sive *Antecessorum* contractum, obligationem, justam, quæ in Reipublicæ non verget damnum & præjudicium Imperator & Principes meritò servant.

19. Ubi autem nullus contractus intercessit, ad quænam Imperator seu Principes teneantur, nec leges transire licitum illis sit, in seqq. de administratione libellis, passim indicabitur.

Exinde itaq; præluceſcit, quænam origo poteſtatis & qualis eidem competat.

CAP. II.

DE POTASTATE, EJUS q; *diviſione*, & in ſpecie de *Majeſtate*.

poteſtas quid

1. *Poteſtas* autem in genere à Jctis deſcribitur jus perſonæ in perſonam, & ejus bona per conſequentiam. *l. poteſtatis 215. ff. de verb. ſignif.*

Quotuplex

2. Eſt vel *Privata* vel *publica*, de illa hoc loco nil amplius, hunc præſequemur.

3. *Publica poteſtas*, quam magiſtratus exercet, vel *ſpiritualis* ſive religioſa eſt, quæ in jurisdictione Eccleſiaſtica conſiſtit, & pertractatur infra lib. 5. vel Politica.

4. *Politica poteſtas*, circa res politicas verſando itidem duplex eſt; alia enim Imperii Romano Germ. & regnorum Europæ ſtatu inſpecto, *ſumma* ſive *ſupe-*

rior

rior est, alia *inferior* superiori subjecta.

5. *Summa* hæc potestas ab ipsa majestate, ut & superioritate, quæ summæ subjecta nonnunquam distincta est, ideoque etiam summam hanc potestatem primò pertractando eam in majestate & summa potestate in specie sic dicta, consistere, omninò arbitror.

Majestas unde & quid

6. *Majestas* à magnitudine sic dicta, secundum *Festum*, nobis est, Imperii & Imperantis summa potestas.

Quotupl.

7. Dixi Imperii & Imperantis, unde majestas duplex hæc est, *Realis & personalis*.

8. *Majestas Realis*, (quæ & Imperii majestas dicitur,) est, quæ cum Imperii seu Reipublicæ eminentia nascitur, cumque eademq; interit.

9. *Majestus personalis*, est quæ in personam Imperantem confertur, cum ea perdurat, eam sequitur, quo abit, & tandem, cum eâdem concidit.

Propria majestatis 10. Utriusq; majestatis *requisita* infallibilia sunt & propria 1. Ut sit incommunicabilis. 2. Unica indivisibilis. 3. Summa, neminiq; subjecta. 4. Perpetua.

Quibus competit. 11. Exinde apparet, *quibus majestas competat*, sive non; Regulariter autem competit *monarchæ*, cui summa & perpetua competit potestas, uti Imperatori, Regi Hispan. &c.

12. *Magistratui temporaneo*, & qui rerum à se gestarum rationem reddere tenetur majestas competere non videtur.

13. Magistratui in *statu Polyarchico*, propterea, quod majestas dividi non possit, nonnulli majestatem denegent, si tamen summus sit, jura majestatis eidem competere non dubito.

14. Non obstante *jure Vasalligio*, majestatem Rex quidam illibatam retinere potest, unde Regi *Bohemiæ* quamvis Imperatoris Vasallus sit, majestatem qui adimunt, quid statuant, nesciant.

15. Rex

15. Rex summus alterius *clientelæ* & *protectioni* sese subjiciens, majestatem eo ipso non amittit.

16. Reliqui itaq; *qui superiorem recognoscunt*, quales Germaniæ aliorumq; Regnorum Principes, majestatem neutiquam habent.

17. Consistit hæc majestas, & potissimum versatur, circa quædam *jura* ipsi majestati, vel solum competentia, vel quæ alii communicavit. *Circa quæ versatur.*

18. Sunt ergo *majestatis jura* varia, eaq; *majora* vel *minora*, utraq;, quænam, qualia, & quotnam sint, alibi refertur, & singula in seqq. de administrat. libellis suo loco methodicè pertractantur. *Jura majestatis.*

Tantum de majestate ejusq; juribus.

CAP. III.

DE SUMMA POTESTATE in specie sic dicta, quibus eadem competat, & incidentes de *vicariis* & *vicariatu* Imperii.

1. *Summa potestas*, quam à majestate distinctam, & nemini subjectam esse diximus alia videtur esse *paulò liberior*, alia magis *restricta & limitata*.

Quid & quotupl.

2. De *libera potestate*, ut quæ nunquam Imperatoribus nostris in summo gradu competisse videtur, nec etiam hodie, Christianis regnis usitata, nil amplius dicemus.

3. *Restricta & limitata potestas*, inde descendit, Quando id est Imperatoris & Regia potestas, in certis capitulis, ab Imperii electoribus & proceribus restringitur, quemadmodum in plerisq; Europæ Regnis usitatum comperimus.

Quibus competat.

4. Hæcce potestas, quam modo delineavi, competit 1. Singulari quâdam prærogativâ *Imperatori* Romano-Germanico. 2. Aliis *Regibus* superiorem non recognoscentibus 3. Magistratibus & *Rebuspubl. literis* itidem superiorem non agnoscentibus. 4. *Regi Romanorum* cen perpetuo Imperii vicario. 5. Reliquis

Imperii

Imperii Teutonici vicariis, qua occasione, de vicariis & vicariatu Imperii pro instituto tractatur.

5. Ne Imperium capite orbatum labatur, & varias in partes distrahatur, prudenti instituto, ejusdem administratio, Imperii *vicariis* est commissa, unde *vicariatus* Imperii. *De vicariatu & vicariis Imperii*

6. *Imperii vicariatus* describitur breviter spacium temporis, quo Imperatore absente, gravissimè impedito, vel plane demortuo, creatus Rex Romanorum, vel eo deficiente, ordinati duo vicarii electores P. P. Palatinus & Saxo, Imperatoris absetis, impediti, demortui vices repræsentant. *Quid sit?*

7. *Duplices* ideoq; sunt Imperii Teutonici vicarii, vel *Rex Romanorum*, si sit, vel prædicti *duo electores*. *Quotupl.*

8. *Rex Romanorum* si quis sit creatus ad eundem jus vicariatus pertinet, & omnia absente impeditove Imperatore expedit. *A. B. tit. 5. ord. cam. p. 1. tit. 1. §.* nemlich wollen/ die Römisch. major illi quam reliquis Imperii vicariis potestas competit. *Quinam vicarii.*

9. Re-

9. Rege Romanorum non exstante, sereniſſimi electores PP. *Palatinus Rheni* & *Saxo* ex lege Imperii & longâ obſervantiâ, Imperii vicarii exiſtunt. *Vid. c. 5. A. B.* Non itaq; *Pontifex Romanus*, cui rudera Imperii non ſecus ac lupo oves committerentur.

Quoties & quando. 10. Sunt ergo hi *toties* Imperii Vicarii, quoties imperium vacare continget, per text. *A. B. tit. 5.* Idq; nec tunc ſolùm, ſed etiam ubi quidem Imperium non vacat, Imperator autem peregrè proficiſcens, nullo poſt ſe mandato relicto, Imperii cura ad eosdem ſimiliter recidit.

Quibus in locis. 11. Palatinus & Saxo ſunt eo tempore Vicarii *in toto Imperio Romano-Germanico* omnibusque ejusdem provinciis & locis, in quibus Imperator jurisdictionem exercet; Imperatoris namq; perſonam repræſentant.

12. Hoc tamen ita intelligendum, Quod eò non obſtante ſereniſſimi vicarii antiquitus Imperium, vicariatus reſpectu, diviſerint,

viserint, ita *Palatinus Rheni*, sit vicarius in *partibus Rheni*, quibus vicina *Franconia* & *Suevia*; In ea tamen Franconiæ parte saltem, in qua jus Franconicum viget, vel ut versio Germanica habet im Fränckischen Rechten *A. B. c.* 5.

13. *Saxo* verò elector iis in locis vicaria tum exercet, in quibus jus Saxonicum servatur. *A. B. d. c.* 5.

14. Vicarii ubi ita jus vicariatus propriâ vi ohn einige Gewaltsübergebung / ejusq; administrationem capesserunt *diplomata* ad singula loca transmiserunt, eorundem officium in administratione & defensione imperii consistit. *Officium vicariorum*

15. Ideoq; *in genere*, *in non prohibitis*, Serm. vicariorum potestas cum Imperiali eadem est, & quæcunq; poterit Imperator, ea ipsa quoque regulariter poterunt hi vicarii arg. *l. 2. de offic. civis quibic. alic.*

16. In *specie* autem exprimitur, quod Serm. Dn. vicariis

competat potestas *exercendi judicia*, (puta summa Imperialia) qualia aliàs Imperator in *aula, camera Imperiali* exercere solet, idq; de *omnibus causis, civilibus, criminalibus, feudalibus*, exceptis tamen *feudis vexilli* per text. *A. B. c. 5.*

17. Secundò potestas *præsentandi ad beneficia Ecclesiastica* text. express. *A. B. c. 5.* Tertiò potestas *recolligendi reditus & proventus Imperii. d. c. 5.* Quartò potestas *investiendi* de *feudis d. c. 5. &c.*

18. Hæc sunt quæ expresse seren. Dn. vicariis concessa, reliqua non expressa, ex generali potestatis, concessione sunt dimetienda.

19 Prohibentur tamen de Imperio quicquam *alienare* vel *distrahere. A. B. c. 5.* ibi omne genus alienationis &c.

Effectus Vicariatus.

20. *Effectus* vicariatus potissimò hic est quod superioritatem, à parte ejus, cujus sunt vicarii inducat.

Quomodo finiatur.

21. *Finitur* vicariatus vacante Imperio, tum cum alius Imperator est legitimè electus. In casu verò absentiæ, Imperatore peregrè

peregrè profe&o, eodem reverso esse desinit. per text. *A. B. c. in princ.*

22. Vicariatu ita finito serm. Domini vicarii officium suum *deponunt*, & vel de novo electus Imperator, vel jamjam reversus, omnia secundum præscripta Legum ab iisdem gesta, acta & facta confirmare & rata habere tenetur.

Hæc de summa potestate, ut & vicariis quibus eadem competit.

CAP. IV.

DE POTESTATE INFERIORI in genere, & ita occasionaliter de *Regalibus.*

1. *Potestas inferior*, respectu summæ potestatis (de qua hactenus) illa esse existimatur, quæ à summa & superiori dependet illiq; subjecta remanet.

2. Eadem verò consideratur *universaliter* vel *particulariter.*

3. Uni-

3. *Universaliter* considerata, ex communi Germaniæ consuetudine, *superioritas*, sive jus superioritatis die hohe Landesfürstliche Obrigkeit nuncupatur.

4. Quæ cum concedatur sub *nomine Regalium*, ideoq; primò monendi sumus *Regalia* tamen à superioritate differre, quamquã etiam in multis conveniant; ac proinde hoc loco de Regalibus nonnulla permittenda.

Regalia unde & quid.

5. *Regalia* à Rege sic dicta, communiter definiuntur, quod sint jura Imperatori primario, vel ei qui superiorem non recognoscit, aliisve principibus &c. quibus concessione, alioq; legitimo modo eadem acquisita, competentia ad salutem & decus Imperii.

Quotuplicia.

6. Sunt *duplicia*, alia *majora*, alia *minora*. *Majora* Regalia, sive majestatis hæc sunt, quibus potissimum suprema potestas, dignitas & præeminentia principis prælucet. *Minora* autem Regalia, quæ & fisci dicuntur,

tur, sunt jura ad fiscum principis spectantia.

7. In *efficiente*, seu modis acquirendi & constituendi Regalia, sciendum, eadem possideri hodie vel *jure proprio*, vel *beneficio alieno*. *Efficiens modi constituendi.*

8. *Jure proprio* Regalia qui possident, sunt *Imperator*, aliique *Reges, Principes & Magistratus* superiorem non recognoscentes, iiq; Regalia acquirunt, vel *electione* vel *successione*, de quibus lib. 2.

9. *Beneficio alieno* Regalia tenent, reliqui Germaniæ, aliorumque regnorum principes & status, eademq; habent 1. *Concessione* Imperatoris, vel alterius superioris. 2. *Consuetudine & præscriptione* temporis immemorialis, ut apperet ex *R. A.* 31§ Augspurg *de anno 1584. §.* vnd sol vnser.

10. Exinde itaq; apparet, *quibus Regalia competant*, nimirum quibusdam *jure proprio*, veluti 1. Imperatori. 2. Regi Romanorum. 3. Aliis Regibus *Quibus competant*

&

magistratibus superiorem non recognoscentibus.

11. Aliis vero *beneficio alieno*, ut 1. Dn. Electoribus tum Ecclesiasticis, 3. Abbatibus & Prælatis. 4. Abbatissis. 5. Ducibus, Principibus & Comitibus Politicis. 6. Civitatibus Imperialibus. 7. Nobilibus Imperii liberis.

Materia circa quã, & quæ sint Regalia.

12. *Materia* circa quam Regalia versantur quemadmodum varia est, ità quoq; varia à Dno. constituuntur Regalium genera, quæ passim ab aliis referuntur, & infra in ipsa administratione sub loco commodius pertractantur.

Forma & quomodo concedantur.

13. Duplici modo & *formâ* Regalia conceduntur, vel *expressè*, quales modos antea rabuli, vel etiam *tacitè*, ut si cuipiam superioritas &c. concedatur, eidem quoq; regalia concessa videbuntur.

Finis.

14. *Finis* Regalium est vel *generalis* vel *specialis*. *Generalis*, est salus & decus Reipublicæ.

15. Finis *specialis* est vel Regalium

galium *majorum* vel *minorum*. *Specialis finis majorum* est, ut ostendant Imperatoris & Imperii supremam eminentiam pretext. *in R. Imp. de anno* 1576. §. dadurch den *ibi*. zu unserer &c.

16. *Finis specialis minorum* Regalium in specie est, ut Fisci commoda augeant, unde & Fiscalia dicuntur.

17. *Effectus* Regalium, vel ipsum Imperatorem & Imperium respicit, vel Principes quibus eadem concessa in ejus eminentiam & utilitatem spectant. Respectu horum in Regalium exercitio consistit. *Effectus.*

18. *Contraria* Regalium, in eorundem modis dissolvendi & amittendi consistant. *Contraria, & quibus modis amittuntur.*

19. *In Regalium amissione*, prior distinctio, an scilicet quis proprio vel alieno beneficio Regalia possideat, rursum attendenda est. Illi enim qui *proprio jure* Regalia habēt, ea nō amittūt, nisi vel *tales esse desinant*, *præscriptione* vel alio modo iisdem priventur.

20. In

20. In iis etiam qui *alieno beneficio* Regalia possident, adhuc distinctio quædam tenenda. Namq; Regalia iisdem, vel conceduntur in feudum, & iisdem modis, quibus feuda, Regalia quoque amittuntur.

21. Vel non conceduntur in feudum sed saltem simpliciter privilegio, concessione, vel alio modo legitimo sunt acquisita, & recte amittuntur. 1. Præscriptione & non usu. 2. Abusu, si quis Regalibus abutatur. 3. Renuntiatione. 4. Enormi delicto, veluti contra principem concedentem commisso. 5. Tempore & conditione extante, si scilicet, ad certum tempus vel sub certâ conditione concessa sint. 6. Negligentiâ & ignaviâ. 7. Revocatione. Qui tamen modi in plurimis limitationes & exceptiones admittunt.

CAP.

CAP V.

DE SUPERIORITATE, sive jurisdictione territoriali, der hohen Landes-Fürstlichen Obrigkeit.

1. Præmissis Regalibus ipsa jam subsequitur superioritas, quam sub titulo & nomine Regalium concedi jam ante dixi.

2. Hanc nuncupo principum, statuum, & quorundam Imperio immediatè subjectorum, plenariam & omnimodam, Imperio tamen & Imperatori subjectam, in suis territoriis, districtibus & diœcesi, in iisq; contentos & circumseptos homines, bona, nec proprio marte, agendi, statuendi & jubendi potestas, modo legitimo quæsita. *Quid & quotuplex.*

3. Ut autem supra hoc libro potestas in genere alia dicebatur Ecclesiastica, alia politica, ita quoq; hanc superioritatem sive jus superioritatis non incommodè aliud *Ecclesiasticum* aliud *Politicum* statuo. *Illud* circa religionem

nem, hoc circa res politicas versatur.

Causa Efficiens vel modi acquirendi.

4. Superioritatis jure civili scripto incognitæ, consuetudine verò introductæ *origo* & constitutio consideratur 1. respectu primæ originis. 2. Ratione communicationis aliis factæ.

5. *Primò* ejusdem constitutio & *origo*, cum eod. recidit, quod diximus, quemadmodum primitus Ducatus, Marchiæ comitatus &c. constituti sint.

6. Quoad *modos requirendi* autem eorund. nonnullos lib. 2. retulimus *electionem, successionem* &c. namq; eo ipso quo princeps & status, principatus & comitatus, jure territoriali gaudentes acquirunt, iisdem etiam superioritas accidit.

7. Denique 2. superioritas acquiritur *concessione* Imperatoris. 3. nova ejusdem *investitura*. 4. Cooptatione in numerum statuum. 5. Præscriptione & consuetudine. 6. Spontaneâ subjectione. 7. Jurisdictionis Ecclesiasticæ suspensione.

Quibus competat.

8. Competit autem superioritas vel jus territoriale solis *immedia-*

mediatis Imperii subditis uti apparet ex *Recess. Imp. de anno* 1548. §. **wiewol auch** &c. & in specie quidem post Imperatorem 1. Electoribus tam Ecclesiasticis, quam secularibus. 2. Reliquis Imperii Principibus Ecclesiasticis, & secularibus, Archi Ducibus, Ducibus, Principibus. Landgraviis, Marchionibus, Comitibus, Baronib⁹ immediatis &c. 3. Civitatibus imperialibus, 4. Nobilibus liberis in suis castris & territoriis, atq; ita nonnulli arbitrantur.

9. Consistit superioritas, in ipso post Imperatorem summo potestatis jure, & radicatur in territorio, sine quo esse & consistere non potest versatur autem circa varia, & quidem potissimum, homines & bona territorio cui inhæret, inclusa. *Materia in qua & circa quam*

10. *Forma* superioritatis dependet 1. ex forma & modo eandem constituendi, de qua paulò ante vel 2. eandem exercendi probandi, & conservādi de qua postea dicetur. Nihilomin⁹ tamē & hoc cō referri potest, Quod hodie princ. *Forma.*

&

& ſtatibus Imperii quibus hæc ipſa ſuperioritas competit, hæreditariè concedatur.

Finis 11. Superioritatis *finis*, cum iis quæ ſupra *libro 1.* de membror. Imper. conſtitutione, ut & quæ capite antecedenti, de fine Regalium dixi, coincidit.

Probatio. 12. Hæc de conſtitutione ſuperioritatis ſeu juris territorialis breviter tradi potuerunt, *probatio* ejuſdem ſuccedit, quæ per *actus* plurimos ſpeciales expedienda, verùm cum nonnulli ex iiſdem parum ſufficientes, allegari ſoleant, non omnes, ſed certiores ſaltem inducemus, probatur itaque maximè ſuperioritas 1. per modos generales, quibus quiſpiam Imperii ſtatus eſſe prrobatur. 2. Per *actus eccleſiaſticos*, qualis imprimis jurisdictio Eccleſiaſtica, ſive jus Epiſcopale, ex quo diſpendet religionis inſtitutio & reformatio, miniſtrorum Eccleſiæ ſuſtentatio, viſitatio, correctio &c. Poteſtas diſponendi ſuper bona Eccleſiaſtica, eorum Eccleſiaſtica-

rum

rum sanctio, consistoriorum constitutio. Et similes. 3. Per *actus politicos*, quales introductio Principis das einreiten / Homagii præstatio, collectarum indictio, vectigalium impositio, jus salvi conductus, comitionum provincialium institutio, Legum provincial. sanctio &c. ut & non nullos *militares actus*. Belli provincialis indictionem, jus sequelæ, Fœderis item pacis pangendi, & si qui plures.

13. *Effectus* superioritatis, tum 1. in eo consistit quod ejusdem vigore Principes & status Germaniæ, quibus hæc superioritas competit, tantum possint in suo territorio, Ducatu, Comitatu &c. quantum Imperator in Imperio, quæ regula quamvis firmissima, nonnullas tamen patitur restrictiones. Cum 2. Hujus respectu principes & superioritatem habentes, in omnes territorio Ducatus & Comitatus inclusos homines, bona vel res intentionem fundatam habent, quoad jurisdictionem, id est & subjectionem.

Effectus.

nem. Jurisdictio enim hæc ad omnes in territorio exortas controversias & casus sese extendit, arg. *l. si Pupillus §. territorium de verb. signif.*

Contraria & quomodo amittitur.

14. Quibus autem modis superioritas hæc seu omnimoda jurisdictio *amittatur*, quamvis ab aliis nondum satis explicatum viderim, præcipuos tamen ejusdem referam modos, & quidem amittitur 1. iisdem fere modis, quibus Regalia supra capite præcedenti amitti diximus in specie verò. 2. Ob gravissimum delictum à principe vel alio quopiam superioritatem & jurisdictionem habente, contra concedentem commissum, vel etiam 3. Ob non usum, abusum negligentiam &c. quo casu ad superiorem devolvitur. *C. si diligenti extr. de for. compet.* 4. Omni illo casu, quo ob culpam territorio vel principatu cui superioritas inhæret privatur, nec enim illa sine territorio subsistit.

Tantum de superioritate seu universali quopiam.

CAP.

CAP. VI.

DE JURISDICTIONE in genere, ejusq; speciebus particularibus.

1. *Particulariter* huic superioritati annexa sunt, nonnunquam quædam jura, interq; potissimum est *jurisdictio in genere* sic sumpta, quam ab ipsa superioritate territoriali **von der hohen Landes-Obrigkeit** differre, supra dixi, & nullum ferè ea de re relinquitur dubium.

2. Jurisdictionis vocabulum à jure, sive jubendo, quod latinis & dicere & proloqui pro Imperio ac potestate, dictum variè apud Jctos accipitur, ideoq; nec minus definitio ejusdem controversa est. *Jurisdictio unde quid?*

3. Malumus itaq; nervosam hanc & perbrevem pro instituto retinere *definitionem*, quâ dicitur, quod sit Publica, de causa criminali vel civili statuendi potestas.

Quotuplex

4. Dividitur eadem, & quidem principaliter in *jurisdictionem in specie sic dictam*, & *Imperium arg. l. Imperium 3. ff. de jurisdict. l. 1. §. ult.* ibi jurisdictionem quidem *ff. de offic. ejus cui mandat est jurisdict.*

5. *Jurisdictio simplex* sive in specie sic dicta, definitur à *Cujacio* & aliis, quod sit notio, quæ jure magistratus competit, quam jurisdictionem hodie Germani vocant die Nieder Gericht/ oder Niederbotmessigkeit/ & solùm causas civiles vel pecuniarias, concernit.

6. *Imperium* est jurisdictio in coercitione potissimū posita. *arg. l. 2. & 3. ff. de jurisd.*

7. Estq; *duplex merum* vel *mixtum* Imperium *l. 3 ff. de jurisd.*

8. *Merum Imperium* definitur quod sit potestas graviter coercendi, animadvertendi & verberandi in facinorosus. ex *l. si quid erit. 11. ff. de offic. Proconf.* & *l. nemo 70. ff. de Reg. Jur.* Hodieq; autem *Jurisdictioni criminali*

parum

parum differre dicitur, unde Germanis **Malefitz Obrigkeit, Blutbahn / peinliche oder Hals vnd HauptGericht** dicitur.

9 *Mixtum Imperium* definitur, quod sit potestas, quæ jure magistratus competit, vel definitur etiam potestas cui jurisdictio inest. Vel inhæret ex *l. ff. de jurisdict. l. 1. in fin. ff. de offic. ejus;*

10. *Secundò* jurisdictio dividitur in *voluntariam & contentiosam. l. 2. de offic. Proconf.*

11. *Voluntaria* ex re ita dicitur, quod exerceatur in volentes, strepitumq; judicii non requirat, qualiter fit in adoptione, donationis insinuatione &c.

12. Jurisdictio *contentiosa* itidem ex re ita appellata, quod exerceatur in invitos & contendentes maximè in judicio idq; vi Imperii *l. 2. ff. de offic. Proconf.* veluti sit actionibus, plerunq; in judiciis, controversiarum.

13. *Tertiò* jurisdictio dividitur in *propriam* & *impropriam*.

14. *Jurisdictio propria* quæ & *ordinaria* dicitur, est quæ suo & proprio jure alicui competit. Eaq; vel *jura universa* cujusdam loci respicit, qualiter ea de qua ante, quæ, tum circa causas criminales cum civiles versatur, vel *jura* saltem *singularia*.

15. *Jura* hæc *singularia*, quæ singularem jurisdictionis speciem constituunt, est præcipuè *jurisdictio Forestalis*, die Forstliche Obrigkeit. Et quæ alia consuetudine observantur

16. Hæc jurisdictio Forestalis conjunctim consistit, in *banno ferino* Wildtbahn/ & *jure forestali* vnnd Forstrecht. Jurisdictio enim forestalis, ut totum considerata tam Forstrecht quam Wildtbahn complectitur; cum hæc duo conjunctim, non verò separatim jurisdictionem forestalem constituant.

17. *Jurisdictio impropria* est vel *mandata*, sive *delegata*, vel *prorogata*.

18. Man-

18. *Mandata* jurisdictio est, quam quis habet nomine nonsuo sed alieno. *l. 1. §. qui mand. ff. de offic. ejus.*

9. Jnrisdictio *prorogata*, est jurisdictionis ejus, quam magistratus habet, ad rem vel causam, quam quæ ad jurisdictionem illus spectat extensio & prorogatio.

20. Hæc de jurisdictione speciebus, quomodo eadem in genere acquiratur, paucis referamus, *acquiritur* autem jurisdictio 1. Concessione vel privilegio Imperatoris, vel alterius cujuspiam superioris. *Quomodo acquiratur*

21. *Concessio* hæc vel *privilegium* sit vel *tacitè* vel *expresse*. *Tacitè* si Ducatus, Comitatus vel alia dignitas cuipiam concedatur. *Expresse* ubi nominatim in literis investiture & privilegio vel marum vel mixtum Imperium vel jurisdictio alicui tribuitur.

22. *Secundò* acquiritur jurisdictio *præscriptione*. Et *consuetudine*. *Tertiò pacto* vel *donatione* qui tamen modus ex priori dependet.

Quomodo probetur. 23. *Probatur* jurisdictio potissimum 1. actu & exercitio ejusdem quando deducuntur actus & exercitia jurisdictionis. 2. Signis veluti merum Imperium denotatur Erectione patibuli, furcarum & rotarum. 3. Probatus jurisdictio per *literas* investituræ, seu confessionis, instrumenta & privilegia desuper concessa. *c. cum causam 13. de probat.* 4. Probatur per testes quæ de actibus exercitæ jurisdictionis testantur. 5. Probatur præsumptione quâ unumquodq; præsumitur illius esse jurisdictionis, cujus est territorii *c. 2. de restit. Spoliat. in 6. Denig.* delegata jurisdictio in specie probatur per literas delegationis &c.

Quomodo amittatur & finiatur 24. Jurisdictio *amittitur* seu *finitur* hisce demum modis. 1. revocatione principis ex justa id est causa, quando subditi nimiâ sævitiâ vel expilationibus onerentur. *arg. l. 2. vers. dominorum quidem ff. de his qui sunt sui vel alien. jur. §. ult. inst. eod. 2.* Culpâ & delicto, ut si quis in bannum

bannum Imperii incidat, vel Principem injuriâ offendat. 3. Non utendo & præſcriptione. 4. Nonnunquam etiam morte ejus, qui jurisdictionem exercet. *c. 2. de offic. delegat. in 6.* Aliis etiam modis *delegata* jurisdictio, & aliis *prorogata* finitur, quos modo omitto.

Tantum de poteſtate & jurisdictione primo acquiſitionis effectu.

CAP. VII.

DE DIGNITATE, HONORE, præcedentia & ſeſſione in genere & in ſpecie Imperatoris Regum, Electorum Principum Eccleſiaſt. ſecularium &c.

1. *Alter effectus* acquiſitionis, Principibus inde redundans in *dignitate* & *honore* conſiſtit, quippe quod poteſtatem plerunque ſplendor comitari ſoleat.

2. Dignitas & honor conſiſtunt in *præeminentiâ & reverentia*.

3. *Præeminentia*, est in *præcedentia & sessione*. *Præcedentia*, in jure præcedendi; *Sessio* in jure superiorem locum tenendi consistit.

4. Utraq; ex iisdem principiis & regulis desumenda videtur, ita ut cui præcedentia eidem & præeminentia in sessione competat, nisi aliter pactis sit effectum.

5. *Regulæ* autem è quibus jus præcedentiæ & sessionis desumendum, à nemine hactenus explicatæ reperiuntur. Pro instituto generales quasdam afferemus, è quibus nonnunquam decidi poterit, sed tamen omnes illæ exceptione ferè non carent.

6. *Primò* itaq; præcedentiæ & sessionis jus è divitiis & regnorum potentiâ regionisq; amplitudine desumi non posse, arbitror. 2. Aliquando, nec tamen semper ex graviori ætate. 3. Nec etiam omninò ex antiquitate familiæ. 4. Sed potissimum ex antiquâ & longiori possessione. 5. Immò ex invateratâ & longâ consue-

consuetudine. 6. Dignitatem habens duplicem, videtur præferri ei qui habet unam. 7. Desumi videtur ex ordine scripturæ. & similibus.

7. Generalibus hisce regulis præsuppositis ad *specialia* sessionis jura Imperatorum, Regum & Principum Europæorum progrediar.

8. *Imperator* itaq; Romano-Germanicus, omnibus tum in Europa, cum toto terrarum orbe, Regibus, cujuscunq; sint nominis & conditionis præfertur.

9. Eâdem præcedentiæ & sessionis prærogativâ fruitur *Rex Romanorum*, itidemque sereniss. Domini *vicarii* tempore vicariatus; ita ut aliis Regibus eosdem non immeritò præferant.

10. *Rex Bohemiæ* quoq; cum & Rex sit, & Elector, qui Regib9 æquiparatur in omnibus publicis Imperii actibus, quemcunque Regem alium præcedit.

11. Inter reliquos Europæ Reges, num præcedentia & sessio tribuenda *Hispano*, num *Gallo* vel *Anglo* adhuc illi inter sese disceptant, & alter alteri cedere recusat.

12. Ad Romano-Germanici Imperii statum revertor, in quo post Imperatorem, Regem Romanos, & vicarios quatenus tales summam præeminentiam habent, *Electores Imperii* septem à quibus *Ecclesiastici* secularibus in actu electionis præferuntur, atq; quidem ita inter sese jure præcedentiæ fruuntur, ut *Moguntinus* primus atq; sic deinceps. 2. Trevirensis. 3. Colonienſis. 4. Rex Bohemiæ. 5. Comes Palatinus Rheni. 6. Dux Saxoniæ. 7. Marchio Brandeburgensis colloretur.

13. Post Electores incedunt, *principes Ecclesiastici* Germaniæ, Archiepiscopi, & Episcopi, qui principes seculares antecedunt, salvâ tamen cujusque prærogativâ.

14. Inter *Principes Germaniæ* secula-

seculares magna ob præcedentiam & sessionis prærogativam est altercatio, digna ut Imperiali & Patruum amica & mutuâ compositione dirimeretur.

15. Nos lites hasce prætereundo, *generalia* saltem, uti ex subscriptione Recessuum Imperii, apparent, & consuetudine observantur recensebimus.

16. Hoc autem constat Germaniæ principes nulli exterorum principum cedere, sed omnibus, Galliæ, Hispaniarum &c. principibus & ducibus præferri.

17. *Inter sese* vero, quamvis inter Germaniæ Duces, quâ Duces, nulla sit differentia, attamen ordine sessionis & præcedentiæ familias distingui videmus.

18. Primò itaque *ArchiDux* præfertur Duci & ArchiDuces Austriæ reliquis Germaniæ Principibus præferuntur.

19. Secundò *Princeps*, *Dux*, præfertur Comiti &c. Et inter Duces & principes præferri eos,

qui ex *electoralis* descendunt familia, eo ordine, quo ipsi electores sibi invicem præferuntur, experientia dictitat.

20. Quibus ordine succedunt Principes potentissimi. *Brunovicenses* & Lunæburg · & sic deinceps Landgravii, Marchiones, Comites Barones &c. quibus pro hac vice abrumpo, grave enim & periculosum est, inter tot principum contentiones & jura diversa judicare. Et sic etiam de dignitate & honore.

Tantum de effectu acquisitionis qui in potestate jurisdictione dignitate & honore consistebat &c.

EPITOMES
Jurisprudentiæ Publicæ universæ

LIBER IV.

QVI ADMINISTRATIonem Imperii aggreditur, & agit in specie De personis *tum* imperatoribus, gubernantibus *vel* administrantibus, *cum etiam* subditis & Parentibus.

Continuatio. Superioribus egi libris, quibus modis Imperium, Regna, Principatus Respub. constituantur, acquirantur, & quæ jura, potestatem & dignitatem Imperatores, Principes &c. inde consequantur. Restat ut modo de re constituta & acquisita conservanda & administ[illegible] agamus,

CAP.

CAP I.

DE *PERSONARUM* AD administrationem necessariarum *divisione*.

1. FIdelem autem & diligentem Imperii, principatuum & Rerumpubl. *administrationem* & gubernationem necessariam esse, nemo sanus dubitat.

2. Duo verò in omni administratione & gubernatione sunt spectanda. 1. personæ. 2. modus administrandi.

3. *Personarum* (de quibus præsenti agitur libello) summa divisio est, quod aliæ sint *Imperantes*, aliæ *parentes*, sive alii *magistratus*, alii *subditi*.

4. *Imperantes* quæ præsunt vel gubernant, sunt vel *principales*, vel *minus principales* sive coadjuvantes.

5. *Principalis* in Imperio Romano-Germanico Imperans & gubernans est Imperator, Cæsar, in provinciis, Ducatibus, Comitati-

mitatibus Civitatibus &c. Electores, Duces, principes, Comites, Consules, & similes, de quibus lib. 1.

5. *Minus principalis* seu coadjuvantes personæ principalem adjuvant, vel 1. administrando, vel 2. consulendo & informando, vel 3. alia officia præstando.

6. *Administrando* qua Imperatorem aliosve principes adjuvant, eidem adsunt vel *ordinariè* vel *extraordinariè* adjunguntur.

7. *Ordinariè* Imperatori, Regibus & principibus in administrando adsunt, eosq; juvant Electores, status Imperii proceres & primates, quorum consensum in rebus arduis principalis requirere tenetur.

8. *Extraordinariè*, nonnunquam principatibus ob gravissimas causas adjunguntur, ut dixi libro 2. Imperatori Rex Romanorum, Episcopis coadjutores, principibus secularibus, tutores & administratores &c.

Tantum

Tantum de his qui in administrando & gubernando propriè juvant.

CAP. II.
DE CONSILIARIIS & consiliis.

1. *Secundo informando & consulendo*, qui principali præstò sunt, illi dicuntur, unico nomine *consiliarii*, & vulgò *consilium* quod datur.

2. In omni autem consiliò consideranda 1. Consiliens. 2. consulenda.

3. *Persona consulens* est principalis gubernator, sive Imperatores principes, &c. de quibus hactenus.

Consiliarii quinam

4. *Personæ consulendæ* sunt ipsi *consiliarii* qui sunt personæ idoneæ; electæ ad hoc ut principi suo salutaria de Republica fideliter & prudenter suggerat consilia.

Quotuplices.

5. Consiliarii pro locorum & negotiorum, quibus præficiuntur

tur diversitate dispescuntur. 1. Quod alii sint *consiliarii Imperii* vel Regni, alii *Imperatoris* vel Regis.

6. *Consiliarii Imperii* vel Regni, sunt electores & proceres, de quibus cap. de præcedent. n. 7.

7. Reliqui consiliarii vel *ordinarii*, vel *extraordinarii*.

8. *Ordinarii* sunt *Ecclesiastici*, vel *Politici*.

9. *Ecclesiastici* sunt, qui res sactas & divinas suis dirigunt & promovent consiliis.

10. *Politici* potissimum sunt triplici in classe, vel enim sunt 1. Consiliarii secretiores aulici, **die Geheimbste Räthe.** Vel 2. Consiliarii militares, **die Kriegs Räthe.** Vel 3. Consiliarii Justitiæ, **Cantzeley vnd Justitien Räthe.**

11. In consiliariis considerandum. 1. à quo. 2. Quales eligendi. 3. Eorum officium. 4. Privilegia. Et contra.

12. Eli-

A quo eligendi.

12. Eliguntur consiliarii *á principibus* contra & magistratib. qui eorum consilio indigent.

Quales eligendi.

13. *Quales consiliarii* sint eligendi ut intelligamus, diligenter e. rundem requisita sunt expendenda. Ejusmodi vero requisita, vel *natura* iisdem sunt insita, vel *arte acquisita*.

14. Inter *natura insita*, referuntur 1. Bonum ingenium, idq; tamen placidum & candidum nec nimis subtile & igneum. 2. Forma corporis dignitati conveniens. 3. Ætas, nec admodum juvenilis, nec senilis, sed media. Deniq; 4. Nativitas honesta & legitima.

15. *Bona acquisita* in consiliario ponderanda circa ea versantur, quæ ad Rempublicam benè ac fæliciter gerendam necessaria sunt. Veluti 1. pietatis studium, & Theologiæ cognitio. 2. prudentia civilis tam publici quam privati juris accurata, maximè ejus quæ in usu & praxi consistit. 3. Hæc præsuoponit philosophiam præsertim practicam, & tandem

eandem 5. digna consiliario est historiarum maximè Romano-Germanici Imperii, & aliarum florentissimarum Rerumpublicarum cognitio. 6. Hisce omnibus eloquentia subjungenda, non tam ea quæ in verborum ampullis, quam quæ in eorundem medulla consistit.

16. Consiliarii electi *officium* jam paucis percurremus, præcipuè autem in eo consistit, ut principem suum & Rempublicam præcipuè, sincero amore & pietate debitâ prosequatur principi in consiliis veritatem detegat, & privatum publico commodo omnino postponat. 2. Veritatem amet, mendacium & adulationem fugiat. 3. Etiam aliquando non rogatus, si è re principis vel Reipublicæ esse viderit, benè consulat. 4. Si quâ de re malè consultandum, non solum tacendo renuat, sed etiam rationibus præmissis omninò dissuadeat. 5. Malum consilium, si præcipitantes, vel ignorans dederit corrigat &c. quæ denique

Officium consiliarii.

sit

Effectus. fit *forma & modus consultandi*, item quæ varia consiliariorum præmia & privilegia lubens ob brevitatem omitto.

17. Annecto saltem huic loco *gesta* per consiliarium, indistinctè eundem non tenere, nec semper consiliarium, *consilii eventum* sive bonum sive malum præstare debere. Secundum versiculum

Consilium prudens, occasio commoda, fælix
Exitus, unius sunt tria dona Dei.

18. Demum verò *consilium malum*, consultori pessimum erit.

CAP. III.
DE AULICIS ET Legatis.

1. Tantum etiam de consiliariis, officia reliqua, qui præstant, faciunt id præcipuè vel *in Aula* Imperatoris & principum, vel *extra aulam*,

2. In

2. *In Aula* sunt *aulici*, aliiq; *ministri & officiales* plurimi, quorum vitam, mores, & officium hic delineare subsisto, & ad eos qui aulico-Politicos satis abunde scripserunt, me remitto. *Aulici.*

3. *Extra aulam* in exteris & peregrinis regionib⁹ potissimum agunt *Legati*, à legando vel legatione, quam suscipiunt, ita dicti, sunt mandatarii, publico negotio conficiendo solenniter missi ab eo, qui potestatem legandi habet. Dicuntur etjam Ambasciatores, Abgesandte &c. *Legati.* *Quinam.*

4. Legati *alii* sunt belli, *alii* pacis; Illi *Feciales* speciali nomine appellantur. Hi legatorum nomen & titulum in specie reservant. *Quotupli-ces.*

5. *Legati Togæ* seu pacis, distinguuntur rursus 1. ab *objecto*. Quòd sint legati, *negotii*, vel saltem *officii & honoris gratiâ* missi. 2. à *causa efficiēte*, alii sūt legati principis, alii Reipublicæ. 3. alii sunt *temporarii*, alii *perpetui* seu residētes, qui & agenten nuncupantur.

4. Alii

4. Alii legati, sunt mandati liberi, alii restricti vel formularii.

Causa Efficiens quinam legatos mittant.

6. *Legatos mittere*, cum pertineat ad jus majestatis, propriè legatos saltem mittere possunt, hodiè 1. Imperator Romano Germanicus 2. Alii Reges, principes & Respubl. superiorem non recognoscentes. 3. Etiam principes nostri Germaniæ, Electores, Episcopi, Marchiones Landgravii & sic deinceps, hoc jꝰ quoq; sibi attribuunt, ita tamen ut si ad exteros, de causa Imperium concernente legatos sint missuri, id Imperatoris consensu faciant. 4. Civitates liberæ & hodiernæ Anseaticæ idem jus habent ab aliis verò civitatibus subjectis, ut & qui status Imperii non sunt missi legatorum numero non habentur, sed vel selecti vel deputati nuncupantur. Quid autem de *Rebellium prædonum hæreticorum*, &c. transmissis sentiendum alibi tradetur.

Qui & quibus mittendi.

7. *Quinam* legati sint mittendi & quænam requisita in illis ponde-

ponderanda, cum iis ferè concurrunt quæ capite præcedenti de consiliariorum requisites. n. 13. & 14. attuli, quibus adde, omninò attendendum, ut talis mittatur legatus, qui in loco; ad quem mittendus, gratiosus & acceptus sit, der angenehm sey bey dem / zu welchem er gesandt/ id quod variis è circumstantiis videre licebit.

8. Quod si ergo quispiam ejusmodi qualitatibus prædit9 sit, eique munus hoc imponatur, si idem recusset, nec causas sufficites alleget cogi poterit, ut suscipiat, munus enim personale est, ad quod invitus quispiam cogi potest. *l. sciendum §. 5. de legat.*

9. Quod autem mittendi sint legati, ex mittentis arbitrio, & causarum circumstantiis desumi debet, veruntamen melius esse & utilius *unum* de hodierno jure legationi præficere politici arbitrantur.

10. Legati *solenniter* sunt mittendi, Hæc solennitas, partim in *Forma & quemodo mittendi.*

in *forma*, partim in *accidentibus* consistit.

11. *Formalis* solennitas est quę consistit in mandato legati, exinde enim omnis legationis nervus dependet, ita ut mandatorum suorum literas ostenderit, ægrè admittatur.

12. *Accidentalis* solennitas partim in ceremoniis, partim in habitu & & amictu consistit, olim quippe varias habebant ceremonias, quibus legatos ablegabant.

Quam ob causam.

13. *Objectum* atque *causa*, ob quas legati mittuntur, sunt *res Publicæ*, eæq; tam bellicæ, quam togatæ. Immò omnes, quæ salutem & Reipublicæ conservationem vel promotionem concernunt.

Officium legati & expeditio.

14. Legati ita constituti & electi, officium spectatur tum 1. in itinere vel progressu. 2. in loco ubi legatio expedienda. cum 3 in regressu.

15. Quoad *iter & progressum*, legatus 1. sine mora itineri sese accingat. 2. per recta & solita itinere

itinera transeat. 3. Quod si fecerit securus & inviolabilis à quovis servabitur donec legationem expedierit & ad suos reversus fuerit.

16. Ubi autem *ad locum*, *in quo* legatio expedienda pervenerit. 1. Honorificè erit accipiendus. 2. Hospitium honoris illi tribuendum. Et tandem 3. benevolè audiendus.

17. Legatis vero, cum *accersiti* fuerint vel *non*, vigilandum erit, ut quavis horâ parati inveniantur, & ubi ad perorandum admissi, 1. in salutatione. 2. Sessione. 3. Mandati exhibitione & observantia. 4. Orationis moderatione, diligenter occupati sint.

18. Quod si eo modo, quo decet, expedierint Responsum. 1. nec ambiguum, nec fallax iisdem dandum, sed breve & clarum. 2. dimittendi sunt. & 3. pro re nata remunerandi. 4. Literæ commendatitiæ pro securitate iisdem communicandæ.

10. Qui ubi *domum reversi* re expeditâ; Omnia principi suo commemorent, quæcunq; in legatione gesta, nec minimum principem suum celent, quod scire ipsius interfit; adq; eo modo legatio finitur.

Tantum de personis gubernantibus & administrantibus: tum principaliter cum adiuvantibus.

CAP. IV.

DE SUBDITIS 1. IN GENERE. 2. Eorundem divisionibus & speciebus.

1. *Parentes* personæ, sunt *subditi*, horum tractatio, 1. Generalis est. 2. Specierum.

2. *Generalis* tractatio subditorũ consistit in eo 1. ut videamus quis sit subditus. 2. Quot modis talis quispiam efficiatur. 3. Probetur. 4. Esse desinat.

Quis subditus. 3. *Subditus* autem is esse intelligitur, qui alicujus jurisdictioni subest, vel ut alii volunt, subditus

subditus hic proprie, qui in alterius territorio domicilium constitutum habet.

4. Subditus quispiam *efficitur* duobus potissimum modis 1. Origine seu nativitate. per *l. 1. l. 6. ff. ad municipal.* 2. Domicilio, id est, si quispiam aliquo in loco fortunarum suarum sedem fecerit. *l. 3. & seq. ff. eod.* Sola autem *bonorum possessio*, vel quod aliquis in loco quodam forum sortiatur, sive conveniatur neminem subditum efficit. *Causa efficiens, quot modis quis efficiatur subditus*

5. Subditus ergo sic *probatur* ex eo, quod quis alicui subjectus, vel domicilium habitationem in aliquo loco habeat demum etiam omnibus illis modis, quibus superioritatem, supra *lib. 3. c. 5.* probari diximus, subditus quoq; probatur, reciproca enim hæc sunt, *ubi enim me superiorem probo, ibi eosdem qui superioritatem meam agnoscunt, mihi subditos esse ostendo.* *Quomodo probatur.*

6. *Desinit* quispiam alicujus subditus esse. 1. Pacto & voluntate domini, sive alia quapiam *Esse desinit.*

alienatione. 2. propria exemptione, quâ quis alterius jurisdictione sese eximit. 3. Domicilii mutatione, quæ tamen cum onere cujusvis loci facienda. 4. An idem præscriptione plurimi adhuc dubitant.

Quotuplices.

7. Jam ad *subditorum species* progrediundum, variè enim subditi dividuntur & quidem 1. subditi *ut singuli* sive singulatim, vel collegatim *ut collegia* considerantur.

8. Utrovis modi sunt *veri subditi* vel *quasi*

9. *Subditi veri* singulatim sumpti, quoad hodiernum Romano-Germanici Imperii statum, *quinquepotissimum* destinguuntur *modis* 1. Ratione ordinis. Quod alii sint Primarii, alii Secundarii. 2. Ratione dignitatis, ubi alii nobiles, alii ignobiles. 3. Ratione status, quando alii sunt Ecclesiastici, alii Seculares. 4. Ratione habitus, quo alii literati, alii minus literati. 5. Ratione Politiæ, quando sunt subditi Im-

ti Imperii immediati, alii mediati, &c.

CAP. V.

DE *PRIMA & SECUNDA* subditorum *divisione*, & in specie de *nobilibus & nobilitate*.

1. *Primò ratione ordinis* subditos dispōsci dixi in *Primarios & Secundarios*.

2. *Primarios* hosce existimo, qui quidem sic parent, ut nec minus Imperii curam sibi impositā sustineant, & qualibet urgente necessitate, totum populum repræsentent, ejusq; commodum tractent, *Secundarii* sunt reliqui inferioris conditionis.

3. *Secunda divisio* ferè cum hac convenit, quâ ratione dignitatis dividuntur in *nobiles & ignobiles*, cujus occasio de *nobilibus & nobilitate* hic tracto.

Unde & quid sint?

4. *Nobiles* sunt quasi noscibiles dicti, & *nobilitas* est dignitas, quâ quis legitimè plebeia conditione exemptus, per gradus evehitur.

Quotuplices.

5. *Nobiles* dicuntur vel in *genere* vel in *specie*.

6. *Nobiles in genere* tales sunt, quâ ratione, omnes isti nobiles dicuntur, qui vel sunt in gradu aliquo eminentiori, vel sub plebeiorum numero non continentur, Quales sunt Reges, Archi Duces, Principes &c. pro cujusq; loci consuetudine.

7. *In specie* nobiles illi dicuntur, quos Germanico idiomate **Edelleuthe** nuncupamus, sive **Junckern/vom Adel/etc.**

8. Hi apud nos in duplici sunt classe, vel enim sunt, *liberi Imperii nobiles*, & saltem *Imperio subjecti* **Freye Reichs vom Adel/** vel minus liberi, sive subditi & Landsassii aliorum principum.

Causa efficiens nobilitatis.

9. *Causa efficiens* nobilitatis duplex est, *natura* vel *causa* quædam *civilis*.

10. *Natura*

10. *Natura* sunt & fiunt nobiles, qui è parentibus nobilibus nascuntur, ideoq; si quis ex genere procreatur nobili, nobilis ille efficitur. *l. ult. c. de incol.* etiamsi solus parens sit nobilis & mater plebeia, non vero è contra sit pater plebeius & mater nobilis.

11. *Causa civilis* è politica potestate dependet, summa autem politica potestas cum consistit primariò penes Imperatorem, secundariò & consequenter etiam alios; Qua propter *nobilitandi jus.* 1. Ad Imperatorem. 2. Reges. 3. Alios magistratus superiorem non recognoscentes. 4. Electores, Duces, Marchiones aliosq; Romano-Germanici Imperii Principes, quoad suum Electoratum, Ducatum, &c. 5. in specie ad ArchiDuces Austriæ, qui non solum nobiles, sed etiam comites & Barones creare possunt. 6. Comites Palatinos, quibus specialiter hoc cõcessum, Spectare arbitramur.

12. *Causa materialis* nobilitatis, *Materi-*

tis est homo idoneus & aptus. Idonietas hæc & aptitudo ei sola virtute dependet.

13. *Virtus* autem hæc vel *militaris* est, vel *togata*. *Militaris* ex justa militia descendit. *Togata* & civilis, in prudentia rectè consulendi Reipublicæ &c. consistit; Utraq; tam militaris quam togata, si strenuè eidem operam des, nobilitatem sufficienter meretur.

Forma 14. Meritus ergò nobilitatem non statim ipso jure fit nobilis, sed etiam ut actus ejusdem cui jus hoc competit, accedat necesse est, quo scilicet hominem virtute præditum è plebejorum conditione eximit.

15. Fit vero hæc exemptio & nobilis creatio, *tacitè* vel *expressè*.

16. *Tacitè* nobilis efficitur, quando is qui jus nobilitandi habet, sine creatione solenni, vel collatione diplomatum de suâ dignitate participat, Quod fit 1. si Princeps aliquam tam Cancellariam & consiliarium sui palatii assumit.

mit *l. 8. ff. de senatoribus.* 2. Si princeps Doctoratus vel Licentiatus alicui vel ipse, vel per collegium conferat honores. 3. Si quem Imperator de feudo nobili cum annexa jurisdictione investiat, tanquam in Symbolum nobilitatis. arg. *c. 1. quis dic. Dux 2. Feud.* 10. Secus tamen est si rusticus vel plebeius tale feudum emat. 4. Si quem in rescripto vel quovis alio modo nobilem appellat.

17. *Expresse* nobilitas confertur, quando vel verbis solennibus, vel collatione diplomatum voluntatem suam declarat. arg. *l. quoties 3. §. 2. c. ubi Senat. vel clariss.* Quod fit 1. **Wann einem wegē seiner Thaten ein Wapenbrief mitgetheilet wird.** *d l. 3.* 2. **Wann einer wegen seiner Tugenden zum Ritter geschlagen wird.** arg. *l. 2. c. de primicer.* 3. Si fœmina ignobilis nubat viro nobili *l. fœminæ 8. ff. de senator.*

18. *Finis* nobilitatis tum consistit in eo 1. ut dignitatum [illegible] *Finis*

servetur *t. tit. c. ut dignit. ord. servet.* Cum 2. ut virtuti debitem constituatur præmium arg. *l. semper* 5. *§.* 3. 5. *de jur. imm.*

Effectus. 19. *Effectus* nobilitatis varius est, & quidem 1. per continuam seriem sanguinis in posteros propagatio. 2. In privilegiis eorundem quorum quædam consistunt 1. In præsumptione, quia major præsumptio est pro nobilibus, quam aliis. 2. In reverentia & honoribus, cæteris enim nobiles præferuntur. 3. In immunitatibus, quia sunt immunes à collectis &c. 4. In pœnis temperandis. Mitius enim puniuntur, non torquentur &c. Quænam autem actiones ob nobilitatem competant, item quænam hic probationes jam prætereo.

Contraria & quib. modis finitur. 20. *Contrarium* nobilitatis, *quib. mo-* est ejusdem *amissio*, amittitur autem nobilitas. 1. Exercitio vilis artificii per text. in *l. ne quis 6. c. de dign.* 2. Derogatur nobilitati per mercaturam. per *l. nobiliores 3. c. de commerc. & mercat.* 3. Per infamiam vitæq; turpitudinem

dinem. 4. Si mulier nobilis ignobili nubat. Et similibus modis.

CAP. VI.
DE RELIQUIS TRIbus subditorum, divisionibus.

1. *Tertiò* subditos *ratione status* dividi dixi, Quod alii sint *Ecclesiastici*, alii *Seculares*.

2. *Ecclesiastici* sunt personæ, quæ divino cultui sese addixerunt. *Seculares* è contra. Tam autem Ecclesiastici quam Seculares, quod magistratui politico subsint, pluribus non demonstrabo. & de Ecclesiasticis vid *lib. seqq.*

3. *Quarto ratione habitus*, alii sunt *literati*, alii *illiterati*.

4. *Literati* sunt quadruplices. 1. Theologi. 2. Jcti. 3. Medici. 4. Philosophi.

5. *Theologi* sunt verbi divini, sacrorumq; mysteriorum periti, qui omnibus aliis præferantur.

6. *Jcti* sunt Legum humanarum Antistites, eodemq; sensu

appellantur sacerdotes justitiæ *l. 1. §. 1. ff. de just. & jur.* & medicis recte præferantur.

7. *Medici* sunt qui salutaribus remediis corpora humana morbis afflicta curant.

8. *Philosophi* sunt artium liberalium inferiorum periti.

9. Hi *literati* vel summo facultatis suæ gradu sunt insigniti vel non, de quibus gradibus & honoribus *vid. lib. seq. c. 3.*

10. Hæc de literatis, *illiterati* sunt reliqui plebei seu *vulgus.*

11. Hi sunt vel *negotiatores*, vel *artifices*, vel *agricolæ.*

12. *Negotiatores*, ut institores, mercatores &c.

13. *Artifices*, opifices, ut fabri sutores &c.

14. *Agricolæ*, quorum opera honestissima & antiquissima.

15. *Quinto ratione Politiæ*, subditi Imperii, alii sunt *cives*, alii *rustici & pagani.*

16. *Cives* illi sunt, qui habent

bent jus civitates. Fit autem quispiam civis, probatur & esse desinit, iisdem ferè modis, quibus supra subditi in genere.

17. *Rustici* sunt reliqui plebes ignobiliores, ut Pagani villici, &c.

18. Eodem modo Imperii subditi distingui possunt in *immediatos & mediatos.*

19. *Immediati* Imperii subditi sunt, qui neminem ac Imperatorem & Imperium superiorem recognoscunt, qui vel sunt *status Imperii*, vel *non*, de quibus *supra lib.* 1. *cap.* 3.

20. *Mediati* Imperii subditi, sunt reliqui *nobiles* vel *plebei*, qui præter superioritatem Imperii, adhuc alios Imperii status vel membra ceu Dominos superiores agnoscunt, & *Landsassii*, sive Landsassen dicuntur.

CAP.

CAP. VII

DE QUASI SUBDITIS eorumq; generibus, & subditis collegiatim sumptis.

1. Hæc de veris subditis. *Quasi subditi* potissimum sunt in quadruplici classe. 1. Sunt Honorarii. 2. Tributarii. 3. Vasalli. 4. Receptitii.

2. *Subditi honorarii* videntur liberi populi, qui tantum alterius majestatem comiter observant, honorant & venerantur. qualiter de *Helvetiis* erga Imperium Romano-Germanicum.

4. *Tributarii* sunt populi vicini plerunque, qui equidem reverâ subditi nostri non sunt, sed protectioni & defensioni nostræ seseſubjicientes, quodannis pro ea tributum pendunt. vid. *inf. lib. 8. cap.* 3.

4. *Vasalli* etiam quos permulti principes habent, nisi & simul homagium præstent & subditi sint, à subditis plurimum

mum differunt, unde vasallum esse, subjectionem non statim inducit.

5. *Receptitii* vel sunt *Christiani*, vel *extra Ecclesiam*.

6. *Christiani receptitii* sunt forenses & peregrini, qui ad tempus nobiscum commorari solent.

7. *Extra Ecclesiam* sunt *Judæi* Saraceni & similes.

8. *Judæos recipiendi jus* ad *Regalia* propriè pertinet. In specie autem jus recipiendi Judæos competit. 1. Electoribus per *A. B. c.* 9. 3. Reliquis Imperii principibus, tam Ecclesiasticis quam secularibus, Marchionibus, Comitibus, Baronib9 &c. regalia habentib9 è cõtra autem 3. qui regalia non habent, nec Judæos recipere possunt.

9. Ita tamen sunt recipiendi, ut 1. certis sub Legibus vivant, 2. Christianis inserviant non dominentur. 3. Usuræ iisdem non permittantur. 4. multo minus dignitatum capaces

ces fient, vel ad Principum regalia iisdem fit aditus, &c.

10. Ubi autem ita semel à principibus & statibus recepti sunt, sine causa expelli nequeunt.

Hæc de subditis singulatim sumptis.

11. *Collegiatim sumpti*, certa, constituunt collegia & corpora, sive tribus sunt.

Collegia quid?

12 *Collegia* à colligando dicta, maximam nonnunquam utilitatem Reipublicæ afferunt. Est collegium trium pluriumvè personarum ejusdem conditionis, legitima societas. *l. 1. & t. t. ff. de colleg.*

Efficiens.

13. *Causa efficiens* collegiorum in personis constituentibus consistit. Tres autem personas plerunq; ad minimum collegia constituere constat. ex *d. l.*

Materia.

14. *Materia* collegiorum, circa quam versantur sunt res licitæ & honestæ omnes, non enim ex

ex quavis causa etiam illicita collegia constituni permittuntur *l. 1. l. 3. ff. de colleg. & corpor.*

Formæ

15. *Forma* collegiorum constitutionis, partim à superiori, partim ab ipsis collegis dependet.

16. A *superiori*, Quia cum collegia pro cujusq; arbitrio constitui non possint, nec debeant, ne turbæ & seditiones inde nascuntur *l. 1. quod cujusque universi. nomine.* Ab Imperatoria majestate, vel principibus & statibus Romano-Germanici Imperii confirmanda. Hique enim in locum olim collegiorum confirmata demandata fuit. *l. 1. ff. de colleg.*

18. *A Collegis* requiritur, ut talem formam Collegiis adhibeant, taliaque iisdem pacta adjiciant, quæ legibus consentanea, nec cuiquam detrimento.

18. *Finis*

Finis & Effectus.

19. *Finis* collegiorum principalis est, ut comercia, negotiationes & artificia promoveantur.

20. *Effectus* varius est; Quia 1. Collegæ propria sibi statuta, præscribere possunt. 2. Minora collegarum delicta punire. 3. Communionem bonorum in collegium inductorum efficit.

Dissolutio & mutatio.

21. *Dissolvuntur & mutantur* collegia. 1. Mutuâ collegarum voluntate. 2. Ob delictum auctoritate superioris. 3. Abusu jus collegii amittitur. 4. Dissolvuntur etiam collegia, ubi omnia ejusdem membra intereunt, &c.

Hactenus de personis.

EPITO-

EPITOMES
Jurisprudentiæ Publicæ universæ

LIBER V.

DE *ADMINISTRATIone religiosa* seu *Regimine Ecclesiastico.*

Continuatio. Præcedenti libello de personis tum Imperantibus cum subditis, ad administrationem necessariis, jam ad Administrationem seu regimen ipsum procedendum.

CAP I.

DE *ADMINISTRATIONE religiosa*, ejusq; fundamento *jurisdictione Ecclesiastica* in genere.

1 REgimen gubernatio seu administratio Imperii, Principatuum & Rerumpub. *ex objecto* alia

alia est *religiosa*, alia *politica* seu *civilis*.

2. *Administratio religiosa*, quæ ut dignior, prius tractanda, est Imperatoris, Principum & Magistratuum cura, circa religionem & cultum divinum.

3. Circa hanc considerandæ duo. 1. Fundamentum hujus administrationis & regiminis. 2. Administratio seu Regimen ipsum.

4. *Fundamentum* hujus administrationis est *jurisdictio Ecclesiastica*, nam ut justitiæ aliorumq; actuum politicorum administratio è sola jurisdictione politica dependet, ita hujus Ecclesiastica.

5. Jurisdictio itaq; omnis Imperatorum, Regum, Principum, &c. est *Politica*, vel *Ecclesiastica*, de *illa lib. 3.* de hac hoc loco.

6. *Ecclesiastica jurisdictio*, consideratur vel prout *antiquitus* erat, vel prout *nunc* est.

7. *Antiquitus* equidem, quin religionis cura penes Imperatores & Reges fuerit non est dubium, eam

eam tamen postea cum universa jurisdictione Ecclesiastica Pontifices & Ecclesiastici ad se transtulerunt, penes quos etiam (quamvis nonnunquam, non sine contradictione) permansit; Donec tandem nebulis & tenebris Pontificiæ impositionis depulsis & veritate detectâ per *Divum Lutherum*, doctrina Christiana repurgata, ex quo demum Principes & status reformati, Jurisdictionem Ecclesiasticam & religionis curam recuperare tentarunt.

8. Quo ita fæliciter eveniente *nova* quasi (uti nunc est) *jurisdictionis Ecclesiasticæ facies refulsit*, quæ quoq; plenissimè & firmissimè, *Pace religionis* saluberrimè erectâ, corroborata & confirmata est.

9. Hæc ergo *nova jurisdictio* considerat*ur* 1. Ratione originis & causæ efficientis. 2. In sese. 3. Ratione objecti. *Origo juris dictionis Ecclesiast.*

10. *Origo & causa efficiens* jurisdictionis Ecclesiast. hodiernæ est

Pacifi-

Pacificatio religiosa seu *Pax religionis* der Religionfriede.

Pax religionis quid est?

11. *Pax religionis*, seu Pacificatio religiosa definitur commodè Edictum comitiale, de libero Augustanæ & Catholicæ religionis Romanæ, tum Publico, cum privato exercitio concesso, & competente, tum principibus & statibus Imperii, cum etiam eorundem subditis, sed tamen diversimodè.

Causa efficiens.

12. *Causa efficiens* hujꝰ edicti restitutorii, sunt Imperator, electores, principes ac universi Imperii status; Quorum unanimi ac libero suffragio edictum hoc promulgatum.

Materia.

13. *Materia* seu *objectum circa quod*, edictum & pacificatio versatur est religio, de cujus institutione, reformatione & conservatione paulò post dicemus.

Quandò ubi & qua Forma.

14. Quamvis hæc religiosa Pacificatio aliquoties sit pertentata, nonnunquam etiam obtenta, & constituta, deniq; tamen in *comitiis Augustæ Vindelicorum anno* 1555. celebratis repetita & cõfirmata est *per eosd. Imp. recess9.* 15.

15. Introducta autem & obtenta est, non *vi* nec *ferro*, sed *amicissimo ordinum Imperii* inter se tractatu. *Recess. Imp. August. de anno* 1555 §. **solches alles** &c.

16. *Finis* ejusdem pacificationis eò collimat, 1. ut publica Imperii Romani tranquillitas. 2. Ecclesiæ mirum in modum concussæ pax & securitas restitueretur. *Finis.*

17. *Effectus* hujusmodi pacificationis Augustæ initæ *principalis* hic est, ut sepositis omnibus simultatibus & suspensâ jurisdictione Ecclesiasticâ, Pontificiæ & Augustanæ confessionis status & subditi, pacifice inter sese vivant. *Effectus.*

19. *Alter* ejusdem *effectus* est, quodin *perpetuum duraturus*, nec ullo modo citra Imperatoris & statuum consensum tolli possit; Ideoq; eandem (ut Pontificii falsò asserunt) per concilium Tridentinum sublatam esse, non credimus.

19 Ex hac ergo Pacificatione religiosa, seu pace religionis, hodierna jurisdictio Ecclesiastica,

qualis eadem est, profilit, & pacificatio. hæc fundamentum ejusmodi jurisdictionis est.

Jurisdictio ecclesiastica quid & quotuplex.

20. Est autem *jurisdictio Ecclesiastica*, potestas quædam seu jus statuendi de religione & cultu divino, & hinc consideratio ejusdem jurisdictionis in se spectatæ.

21. Faciant hanc hodie *duplicem*, *universalem* & *particularem*. *Illa* ut omnimoda jurisdictio penes Imperatorem, *hæc* statibus Imperii aliisq; in suis ditionibus & Rebuspubl. competit.

Cui competit.

22. *Competit* autem jurisdictio ecclesiastica universaliter & principaliter 1. soli Imperatori Romano. 2. competit electoribus principibus & reliquis Imperii statibus ratione superioritatis & juris territorialis, etiam Ecclesiasticis quam secularibus, cuilibet in suo territorio. 3. civitatibus Imperialibus non etiam municipalibus. 4. Baronibus & nobilibus Imperii liberis, qui quamvis status non sint, liberum & publicum tamen

tamen habent religionis exercitium. 5. Quamvis alii subditis privatis jurisdictio hæc non competat, attamen, privatum iisdem exercitium non erit denegandum, & ubi *tranquillè* vivunt, non *expellendi*, sed tolerandi; Vel si malint *migrandi* potestas iisdem concedenda.

23. Quomodo jurisdictio Ecclesiastica *acquiratur*, sciendum est, ejusmodi causas cum superioritate esse connexas, *ubi enim est superioritas ibi etiam hæc jurisdictio*, quæ pars ejusdem acquiritur *Probatur* modis variis. & ubi quispiam in eadem turbatur. Remedia illi competunt, & quænam pro instituti ratione prætereo.

24. *Tertio* modo jurisdictio Ecclesiastica respectu *objecti* consideratur, Quod est *Religio* seu *cultus divinus*. Cujus administratio & cura jam succedit, & consistit, tum 1. In religionis institutione vel reformatione, cum 2. ejusdem conservatione & propagatione. *Ejus objectum.*

Hæc de administratione Ecclesiastica ejusq; fundamento jurisdictione sequitur modo ejusdem objectum.

CAP. II.
DE RELIGIONIS INstitutione & Reformatione.

1. *Institutio*, est de novo religionis & divini cultus implantatio & approbatio.

2. *Reformatio* est religionis ab hæresi, aliisq; crroribus, repurgatio & vindicasio.

Qualis instituenda 3. In *institutione & reformatione* religionis considero 1. Qualis religio sit instituenda; *Vera* scilicet & orthodoxa, verbo divino consentanea. 2. *Unica* saltem si fieri poterit toleranda, sin minus *pluralitas religionis* urgente necessitate nonnunquam admittenda, atq; ita in Romano-Germanico Imperio duæ, *Augustana* nimirum & *Catholico Romana* liberè concessæ.

4. *Insti-*

A quo

4. *Instituere & reformare religionem poterunt*, iis quibus supra jurisdictionem Ecclesiasticam competere dixi, nec etiam alii; unde solis Imperii statibus, civitatibus, & nobilibus Imperii liberis, hæc potestas competit.

Quibus in locis & quomodo.

5. Quilibet autem religionem instituens seu reformans, ad normam jurisdictionis, in locis saltem suæ administrationi subjectis hoc intendere debet, non magis enim hic, quam in Politicis, jurisdictionis terminos excedere licebit.

6. Faciat etiam *formâ* & *modo* licito, non *vi* & *armis*, nec *ferro* sed *verbo*, nihil enim magis voluntarium est; quam religio, cesset itaq; omnis violenta *inquisitio*, qualis *Hissianis* & aliis usitata.

7. Nec solum reformatio hæcce fieri poterit in religione, sed etiam in *ritibus & ceremoniis*. omnibusq; aliis ad religionis cultum pertinentibus.

8. Ultimum annecti Principes & magistratus, nec debere esse

nimis faciles in reformationibus suscipiendis; sed omnia prius cum saniorum Theologorum consilio ponderanda.

Finis. 9. *Finis* religionis institutionis & reformationis, in veritatis agnitione, divinique numinis cultu & gloria consistit.

CAP. III.

DE *RELIGIONIS CONservatione & propagatione*, in specie vero de *administratione Scholastica* ubi de *Academiis & Scholis*.

1. Tantum de institutione & reformatione, conservatio & propagatio religionis succedit, quæ expeditur 1. Legitima & fideli administratione sive cura. 2. Errorum & hæresium abolitione.

2. Administratio hæc *religiosa*, alia

sa, alia est *Scholastica* alia *Ecclesiastica*.

3. *Scholastica*, scholarum curam suscipit.

4. *Scholæ* vel sunt *universales* & superiores, vel *particulares* & inferiores.

5. Scholæ *universales* & superiores Academiæ seu uviversitates dicuntur, quæ sunt societates, in loco aliquo commodo & apto, Imperiali indultu erectæ, jurisdictione & privilegiis ornatæ, ad studia liberalium artium inservientes. *Academia quid?*

6. Earum autem utilitas & necessitas permagna est. *Authabita. c. ne filius pro patre.* *A quo constituuntur.*

7. Constituere & erigere academiam, *summæ majestatis est*, & ad majora Regalia pertinet, ideoque propriè spectat. 1. ad Imperatorem Romano-German. 2. Regem Romanor. 3. Vicarios Imperii. 4. Reges & magistratus alios superiorem non recognoscentes 5. non etiam alios

Principes superiorem recognoscentes, nisi aliter consuetudine sit introductum, 6. Possunt tamen Germaniæ principes & civitates Imperiales, non etiam alii impetratione privilegii á Cæsarea majestate academias constituere; Idq; 7. citra confirmationem Pontificis.

Quo in loco. 8. Constitueudæ sunt Academiæ, in *loco* ad studia apto & congruo, immò sano, tuto, honesto, & commodo.

Quomodo & quæ ad eas dem necessaria. 9. Erigendo academias, iisdem conceditur nonnunq; *jurisdictio*, nonnunquam etiam ut exempla edocent, *merum & mixtum Imperium.*

10. Præterea ad easdem necessariæ sunt tum 1. Personæ cum 2. res.

11. *Personæ* sunt vel *gubernantes & docentes*, vel *discentes.*

12. *Gubernantes & docentes* sunt 1. Rector magnificus, Cancellarius, Privilegiorum conservatores & Professores.

13. Horum considerandæ 1. Vocatio,

Vocatio, requisita qualitates, sustentatio, privilegia munus & officium in legendo scribendo, &c,

14. *Discentes* sunt scholares, clerici, studiosi, uti vocantur, quorum officium non solum in eo consistit, ut sint literarum cupidi, sed etiam magistratui academico obedientes, quos è contra magistratus defendere & tueri tenetur.

15. Descentium quoq; hic attendenda *præmia*, quæ in *gradibus*, ad quos studiosus licitè aspirare potest, consistunt.

16. Sunt autem hi *gradus* respectu facultatum discernendi, & quidem supremus est *doctoralis dignitas*, quæ in facultate Theologica, Juridica & Medica merentibus confertur, cui proximior gradus *Licentiatus*; *Magistri* verò liberalium artium creantur. Et *Baccalaureatus* nonnunquam, in prædictis facultatibus omnibus obtinet.

17. Sunt deniq; & plurima studiosorum *privilegia*, quæ

hoc loco perstringere supersedeo.

Scholæ triviales.

18. *Scholæ inferiores* quæ & triviales nuncupantur, quæ primæ virtutum & literarum sunt seminaria, à quolibet alio principe seu magistratu in commodum & utilitatem publicam institui possunt & debent, dicuntur & *Gymnasia Pædagogia* &c.

Hæc de administratione Scholastica.

CAP. IV.

DE *ADMINISTRATIONE Ecclesiastica*, de Personis, & in specie *Canonicis* eorumque *Collegiis.*

1. Ecclesiastica administratio jam pertractanda est, in eaque tum 1. Personæ variæ. 2. Bona Ecclesiastica. 3. Administratio & regimen ipsum Ecclesiasticum ponderandum.

2. *Personæ* hodiè Ecclesiasticæ seu

seu spirituales (ut reliquum Pontificium clerum præteream) *vel* mixtam secularium rerum administrationem & potestatem sibi tribuunt, *vel* saltem officio docendi & prædicandi in Ecclesiâ funguntur.

3. *Quæ secularem potestatem* & administrationem sibi tribuunt, ejusmodi *vel* sunt status Imperii, *vel* non sunt.

4. De Ecclesiasticis personis quæ simul status Imperii supra *lib.* 1. egi, ubi de statibus *cap.* 3.

5. *Ecclesiasticæ personæ*, quæ status non sunt, & tamen secularem potestatem & administrationem sibi vendicant, sunt præter inferiores Prælatos *Canonici* & clerici moderni, qui in *collegiis* vivitant.

Collegia ecclesiastica.

6. *Collegia* hæc *Ecclesiastica* considerantur vel 1. ratione sui ipsius. vel 2. Canonicorum in iisdem viventium.

6. *Ratione sui ipsius* ponderandum, quod eadem hodiè reperiantur duplicia, *superiora & inferiora*, die hohe vnd niedrige stifft.

7. *Constituta* autem primitus sunt, à piis Imperatoribus & principibus, præsertim *Carolo Magno* ejus *successoribus*, ut & *Ottonibus* Imperatoribus & aliis.

8. Idq; tum quidem *principaliter* in eum finem, ut essent cœtus docentium, discentium, & Deum ter optim. maximum laudantium, ac ut per clericos in iisdem constitutos, religionis Christianæ studia in his monumentis, tanquam sacrariis deposita perpetuo extarent. *Secundariò* etiam nonnulla ob alium finem conservationem scilicet familiarum instituta esse monumenta testantur.

Canonici qui sint & quot modis sint.

9. *Canonici* in iisdem collegiis viventes eorunq; reditibus fruentes dicuntur, forsan à canonibus ita dicti, quod canones sacros observare debeant.

10. De hisce primò videndum qualiter ad hoc officium perveniant, idq; fit 1. præsentatione. 2. vocatione & electione. 3. voluntaria oblatione.

11. *Præsentatio* est vel *Imperatoria*,

toria, vel *Pontificia*. *Imperatoria* quando Imperator, vel Rex Romanorum, ut & Imperii vicarii, ratione primariarum precum in qualibet ecclesia Germaniæ, unum ad beneficium Ecclesiasticum præsentant, ac ut recipiatur jubent A. B. tit. 5.

12. *Pontificia* præsentatio in eo consistit, quod Pontifex adhuc certo tempore in quibusdam Germaniæ Ecclesiis & beneficiis, vacante sede habeat jus præsentandi, & beneficium illud conferendi, cui velit, quod arbitror *Germaniæ concordatis* firmatum.

13. Secundo *vocatione & electione* ad ejusmodi beneficia fieri accessum dixi, quæ fit tum à capitulo cum ab Episcopo.

14. Tertio *voluntria oblatione* sive alterius *cessione*, quæ tum *gratis* cum etiam cum *precio* nonnullis obtingit, idq; tum aliquando casu & vacantia jam existente, vel etiam in modum exspectantiæ. Quem tamen modum nonnulli improbant.

15. Poterunt autem de jure hisce modis ad ejusmodi beneficia aspirare, omnes quicunq; eruditione & pietate pollent.

16. De *consuetudine* autem & *observantiâ*, in collegiis majoribus **in den hohen Stifftern**, non nisi nobili progenie nati assumuntur.

Officium eorum.

17. Cum vero Ecclesiastica beneficia sint constituta non nisi *ob officia*, ideoq; sedulò quoq; Canonicis & Ecclesiasticis incumbet ut officia, propter quæ beneficia ejusmodi constituta præstent, quæ si neglexerint, illis sese indignos reddunt. In quibus autem potissimum eorum *officium, dignitas, privilegia & jura* consistant hoc loco non amplius prosequar.

CAP. V.

DE *PASTORIBUS & Ministris verbi divini*, quotuplices sint & quemadmodum ad hoc munus perveniant, ubi de *jure patronatus & Episcopali*.

§. Re-

1. Reliquæ personæ Ecclesiasticæ, quæ saltem docendi & prædicandi munere sunt contentæ, sunt *Verbi divini ministri.*

2. In pastoribus & verbi divini ministris considerantur 1. Gradus eorum. 2. Quomodo ad officium ejusmodi perveniant. 3. Officium ipsum. 4. Eorundem sustentatio, defensio & protectio 5. è contra visitatio, correctio, remotio, depositio.

3. Primò quod *gradus ministrorum* Ecclesiæ quod vel sint *superintendentes* vel *pastores* in specie, vel *Archi Diaconi, Diaconi, &c.*

4. Perveniunt autem ad ejusmodi munus *legitima vocatione quæ ne.* *Vocatio quid quæ tupl.*

5. *Vocatio* est actio divina, quâ certa aliqua persona idonea sanctis præficitur muneribus.

6. Estque hæc *mediata* vel *immediata.*

7. De *immediatâ*, quæ sine ullis mediis immediate alicui à Deo T. O. M. provenit, nil amplius dicemus.

8. *Mediata vocatio*, non semper

fit à solo clero, sed à tota ecclesia, in qua non modo clerici sed etiam laici vivunt, & maximam ecclesiæ partem constituunt. Vel nonnunquam etiam in ecclesiis præsbiteria sūt constituta ex optimatibus singulorum ordinum electa quorum judicio populus stare solet, quibus non male consistoria principum assimulantur.

9. Circa hanc vocationem *varia jura* concurrere solent & quidem 1. ministrorum ecclesiæ vocatio* 2. eorundem præsentatio & nominatio. 3. institutio & 4. confirmatio.

10. *Vocatio* ut modo dixi, non ad solum principem vel clerum pertinet, sed modo ad Parochiales, modo etiam ad ministerium ecclesiasticum, idq; pro consuetudine cujuscunq; loci.

Præsentatio & jus Patronat. Quid.

11. *Præsentatio* autem & *nominatio*, plerunq; ad patronos ecclesiarum pertinet unde *jus patronatus* prodiit, quod est jus ecclesiarum & beneficiorum, quoad præsentationem & nominationem ministrorum in Ecclesiis.

12. Hoc

12. Hoc utiq; jus *à jure Episcopali* differt propterea, quod patronus saltem habeat ministrorum præsentationem & nominationem, is autem qui habet jus episcopale, ut episcopi, Hodié etiam principes & status quibus jurisdictio ecclesiastica competit, eorundem institutionem confirmationem & depositionem sibi vendicant. Malè autem hæc confunduntur.

13. Vi itaq; juris patronatus *præsentandi jus* patrono competit, qui idem etiam collator dicitur, & vox collatoris promiscuè pro patrono sumitur, nonnunquam etiam instituens conferre dicitur.

14. Jus patronatus *duplex* est, *Quotupl.*
clericum & laicorum, *illud* dicitur, quando ex ipsius ecclesiæ bonis ecclesia constituitur, dotatur & fundatur; *Hoc* vero dicitur, quando quis laicus, sive clericus, ecclesiam dotat, fundat, & constituit de rebus proprii matrimonii secularis.

15. *Ac-*

Quomodo acquiritur.

15. *Acquiritur* jus patronatus in Ecclesia quapiam 1. ex illius dotatione, quando quispiam Ecclesiam ab initio fundationis dotat. 2. fundatione & ædificatione utpote quia quis exstruxit ecclesiam *c. filiis 16. quæst. 7.* Quo etiam refertur refectio, restauratio seu reædificatio Ecclesiæ. *d. c. filiis.*

Cui competit.

16. Cum autem Ecclesia non solum ab uno, sed etiam *à pluribus* fundari & dotari possit, exinde etiam est, quod unius Ecclesiæ patronatus pluribus quoq; competere possit, quo casu omnes æquè sunt patroni, nec unus magis, quam alius in dotatione contribuerit. *c. ad audientiam. de Eccles. ædificat.*

Quomodo ubi de præsentatione.

17. Cum etiam jus hoc patronatus in præsentando ministrum Ecclesiæ consistat, modo videndum 1. qualem præsentare debeat 2. Quando & quomodo.

18. Præsentare debet *idoneum*, eumq; in hac religionis divresitate, (ut nonnulli volunt)

non

non sua, sed collatoris sive ejus cui jus Episcopale competit, religioni addictum.

19. Si plures sint patroni & *dissentiant* in præsentando, Episcopi, vel ejus cui jus episcopale competit, est ex diversis, unum eligere.

20. Debet autem præsentatio hæc fieri *gratis*, nullo precio interveniente, idq; intra certum temporis spacium. Nam *Patronus Ecclesiasticus* intra sex menses; *Laicus* inter quatuor præsentare debet. *c. 1. §. fin. de jur. patronat.* Quod tempus si neglexerint, Episcopus seu jus Episcopale habens aliquem instituere potest.

21. Atq; hæc ita procedunt, ubi jus patronatus ita est introductum, cui accedit modo præsentati ministri *institutio* sive *collatio*, ut & *confirmatio*, quæ omnia ad jus Episcopali pertinent, sive eum (quod arbitror) cui jurisdictio Ecclesiastica competit. *Jus Episcopale. Institutio confirmatio.*

22. *Episcopale jus* hodiè pleriq; in locis non tam Episcopis & principibus Ecclesiasticis, quam etiam secula-

secularibus & statibus Imperii, quibus ipsa ecclesiastica jurisdictio tribuitur, competit. Exercent autem iidem non immediatè, sed partim quæ sunt ordinis per *superintendentes*, quæ verò jurisdictionis Per *consistoriales & officiales*.

CAP. VI.

DE MINISTRORUM VERbi divini. 1. *officio, jure privilegiis.* 2. *sustentatione, defensione & protectione.* 3. eorundem *visitatione correctione & depositione.*

Officium. 1. Instituti & confirmati jam ministri Ecclesiæ *officium* intueri oportet 1. itaq; qui ad ministerium Ecclesiasticum aspirant seriâ & sincerâ pietate præfulgere debent, 2. vitam inculpabilem gerant, commessationes & alia vitia fugiant, ne ubi hi ejusmodi vitiis indulgent, in majora eorundem oves ruant juxta proverbium, **Wann der Abt die Würffel lege / sey dem** *convent* **spielen**

spielen erleubt. 3. officium in doctrina, prædicatione verbi divini, administratione Sacramentorum, item in potestate Ecclesiastica, quæ in monendo, corrigendo, castigando, &c. consistit.

Sustentatio.

2. Ut autem officio, eo modo, sedulò incumbere possint, ad curam principis, tanquam nutricii Ecclesiæ, maximopere pertinet, honesta ministrorum *sustentatio*, dignus siquidem est operarius mercede suâ, & qui altari servit sustentari debet ab eo *vid. l. 12. §. 2. c. de S. Sanct. eccles.*

Protectio & defensio.

3. Immò non solum sustentatio iisdem debetur, sed præterea etiam, contra omnem vim & injuriam, requiritur ecclesiarum & ministrorum eorundem *defensio* & *protectio*. Est enim officium laicorum, defendere Ecclesiam.

Advocatia

4. Hinc antiquitus originem traxit, quæ est jus, clientes & fiduciarios contra vim majorem & violentiam aliorum protegendi erg. *l. non dubito §. 1. ff. de captiv. & postlim. revers.* &

Jus advocatiæ quid?

differt

differt â jure patronatus. Hinc advocatus Ecclesiæ & patronus, non sunt termini convertibiles.

5. Advocatiæ hoc seu clientelæ jus *duplex* est, *aliud* Ecclesias, *aliud* alios populos seu civitates concernens, de quo posteriori infra *lib. 8. c. 3.*

6. *Advocatio Ecclesiastica* vulgò **Vogtey**/ nihil aliud, quam jus defensionis & protectionis Ecclesiarum: Illi quibus jus hoc competit, dicuntur *Advocati*, defensores **Kastenvogt**/ **schutz vñ schirmherrn**/ qualis advocatus *Abbatiæ Corteiensis* est Dux Brunovicensis &c. Immò Cæsares ipsi eo titulo utuntur uti patet *ex constit. anni* 1512. §. **vnd nachdem wir**/ & similibus.

Cui competit.

7. Hoc ergò advocatiæ jus non solum 1. competit, plerunque principibus & statibus in cænobia sub eorund. districtu sita sed etiam permissum est, inter status Imperii, & frequens est inter Ecclesiasticos ordines, qui hoc præsidio, sese adversus potentiores muniunt.

8. Horum

8. Horum ergo advocatorum *officium* potissimum in *defensione & protectione*, ecclesiarum & ministrorum sibi commissorum consistit. nec tamen *2. patrocinia* ecclesiarum sibi arrogare poterunt, **sein nicht befuget Kirchenrechnung einzunehmen.** nec *3.* superioritatem vel jurisdictionem jus hoc inducit. *Advocati officium*

9. Ubi autem ipsi advocati in eosdem sævirent, meritò eodem privantur jure. *c. unic. §. publici latrones vers. quicunq; de pac. ten. & ejus violator.*

10. Post defensionem incedit, quâ Episcopus vel vice ejus ArchiDiaconus, quotannis, vel bis in anno, vel quoties necessitas postulat, per totam diæcesin transit, tum temporalis, cum Spiritualis curæ gratiâ. *Visitatio*

11. Hodie visitatio annexa est jurisdictioni Ecclesiasticæ & ita Dominis territorii competit, qui eandem per *Superintendentes*, singulis *Visitatio.*

singulis plerunq; annis expedire solent.

Correctio. Depositio. 12. Eò quoq; pertinet *ministrorum ecclesiæ*, si in vitia prolapsi, *correctio*, & ubi flagitiosi vel incorrigiles sunt, *depositio & remotio*, quæ omnia ad jus Episcopale seu jurisdictionem Ecclesiasticam habentem pertinent.

Tantum de personis Ecclesiasticis.

CAP. VII
DE *REBUS* & *BONIS* *Ecclesiasticis* eoq; pertinentibus.

1. *Res & bona Ecclesiastica* modo succedunt quæ ad Ecclesiarum, earumq; ministrorum sustentationem spectant, & sint bona Deo & Ecclesiæ dicata.

Eorum origo. 2. Hæc ut varia sunt, ita quoq; variis modis nonnunquam sunt *acquisita*. Primitûs equidem pii Imperatores & Principes ecclesias & cænobia sufficienter dotarunt, verum hæc postmodum fraude & vi plurima ad se transtulerunt.

3. Quæ

3. Quæ demum divitiæ, & bonorum multitudo Ecclesiasticorum disciplinam suffocavit, ita, ut à religione pro regione ad arma conversi, dominari cæperint.

4. Utile itaq; est ne Ecclesiastici bonis & divitiis diffluant, unde quoq; rectè *statuto* caveri potest, ne amplius bona in Ecclesiasticos alienentur.

5. *Dispensatio* autem & cura horum bonorum propriè ad Episcopos pertinet, vid. *Clement. 2. §. ut autem præmissa de religios. domib.* *Ad quem pertineant*

6. Hodiè vigore pacis religiosæ ad Imperii principes & status seu territorii dominos pertinent, qui Episcoporum subintrant locum, quorum tamen bonorum Ecclesiasticorum Domini non sunt, sed saltem dispensatores.

7. Quapropter bona ejusmodi semel Deo & Ecclesiis dicata ad se rapere, propriumq; in usum convertere non poterunt.

8. Horum præterea bonorum varia sunt *jura* & *privilegia*, ut & *Privilegia*

immunitates, qualia immunitas à collectis, item quod non præscribantur, nec alienari vendive possint, quæ tamen omnia accedentibus nonnullis requisitis limitationem patiuntur.

Hæc etiam de bonis Ecclesiasticis.

CAP. VIII
DE IPSO *ECCLESIASTICO regimine* & administratione Principi competente.

1. Regimen Ecclesiasticum ipsum, seu administratio principi sive magistratui in rebus Ecclesiasticis competens succedit, & tum 1. in Legum Ecclesiasticarum sanctione, cum 2. in earundem executione consistit.

Leges Ecclesiasticæ.

2. *Leges Ecclesiasticæ*, quæ & Kirchenordnung / quibus annexæ Eheordnung / dicuntur, quod de ordine in Ecclesia servando, causis & rebus ad Ecclesiasticum regimen spectantibus disponant.

3. Harum sanctio non solum ad

ad Episcopos & Ecclesiasticos pertinet, sed vigore pacificationis religiosæ, etiam *principes & status seculares* ejusmodi constitutiones Ecclesiasticas sancire possunt, nec in suis constitutionibus, **in ihren KirchenOrdnungen vnnd Gebräuchen**, turbandi sunt.

4. Earundem legum Ecclesiasticarum executio, solenniter plerunq; in bene constitutis *judiciis*, quæ consistoria nos vocamus, expeditur. *Judicia sive consistoria.*

5. *Consistoria* hæc sunt judicia Ecclesiastica, causarum Ecclesiasticarum & spiritualium gratiâ constituta.

6. Hæc, (quamvis jurisdictio secularis & Ecclesiastica hodiè videantur coagulata) rectè à judiciis reliquis secularibus separantur.

7. Eriguntur autem & constituuntur *à principe territorii*, penes quem jus territoriale & jurisdictio Ecclesiastica.

8. Partes horum consistoriorum, sunt 1. personæ è quibus constant. 2. causæ coram

iisdem vendilandæ. 3. Forma & processus.

9. *Persona* è quibus consistoria constant, *consistoriales* vocantur, & sunt ipse *Præses* consistorii, ejusq; *consiliarii & assessores*, qui omnes, tum è *personis Ecclesiasticis*, Superintendentibus, & primariis Ecclesiæ ministris, cum *è secularibus* & laicis, viris tantum doctis & honestis rectè desumuntur.

10. *Causæ* coram consistoriis ventilandæ sunt 1. meræ spirituales, ut quæ fidei Christianæ veritatem immediatè respiciunt, ceremonias & cultum divinum. 2. Quædam ob dependentiam spirituales, ut controversiæ de personis & rebus Ecclesiasticis. 3. mistæquæ aliquando ad forum Ecclesiasticum, aliquando ad seculare pertinent, quo refertur crimen adulterii causæ matrimoniales &c.

11. *Forma & processus* in consistoriis pro causarumqualitate est considerandus.

Eatenus

Eatenus de administratione religiosa, Scholastica & Ecclesiastica.

CAP IX.

DE *HÆRESIUM* & *ERrorum* abolitione, *conciliorum* usu, *hæreticorum* pœnis &c.

1. Altera pars, seu alterum remedium, quo religionem & divinum cultum conservari & propagari dixi *hæresium* sive *errorum abolitione*.

2. *Hæreses* proh dolor, & errorum pertinacia non rarò ecclesiam Dei turbant, ideoq; summo studio abolendæ & supprimendæ.

3. *Abolentur* verò & supprimuntur potissimum duobus modis 1. confutatione & rejectione hæresium, & errorum. 2. pœnarum impositione.

4. Confutatio & rejectio errorum, pluribus potest fieri modis, & quidem non rarò in publicis conventibus seu conciliis.

Concilium quid.

5. *Concilium* à conciliando dictum, describitur conventus publicus, vel à magistratu politico, vel de communi Ecclesiarum consensu indictus, in quo viri pii ac eruditi ritè vocati ac delegati causas Ecclesiasticas cognoscunt, collatisq; sententiis ex verbo Dei definiunt.

Quotupl.

6. Concilia sunt *duplicia universalia & particularia.*

7. *Universale* concilium est totius Christiani orbis Ecclesiarum legatorum conventus.

8. *Particulare* concilium, est certarum Ecclesiarum legatorum conventus.

9. Idq; est vel *nationale* vel *Provinciale in illo* totius cujuspiam Regni vel Nationis. *In hoc* unius saltem Provinciæ legati conveniunt.

A quibus indicuntur

10. Indicuntur igitur concilia, *ab Imperatore* vel alio quopiam magistratu Politico; non etiam à solo Pontifice.

11. *Personæ* autem è quibus concilia constent sunt *caput & membra. Caput* est Præses; *Membra* sunt

sunt *primaria* vel *secundaria*. *Primaria* sunt personæ, quæ ordinariam dicendi potestatem habent & eò delegatæ. *Secũdaria* sunt reliqui clerici & laici, discendi gratia accedentes.

12. Debent concilia constitui in *loco* tuto, & tandem in iisdem procedendum *forma* & *modo* à sanioribus Theologis præscripto.

13. Hisce haud absimilia sunt *Theologorum colloquia*, de fide Christiana necessaria. *Colloquia Theologorum.*

14. Quod si hisce & aliis, errores, hæreses tolli, & hæretici corrigi nequeant, tum *pœnis* pro delicti qualitate coercendi erunt, immo si alios seduxerint, nec adhortando desierint, eos *capitali pœna afficiendos* non dubito. *Pœna hæreticorum.*

Tantum quoq; de administratione Religiosa.

EPITOMES
Jurisprudentiæ Publicæ universæ

LIBER VI.

DE ADMINISTRATIONE, sive *Regimine politico & civili, togato*; In specie verò de *Bonis & rebus Imperii* Principatus, &c. curandis.

Continuatio. Præcedenti libello de administratione & regimine religioso actum; Regimen Politicum seu civile modo subsequitur.

CAP I.

DE ADMINISTRATIONE *politica, togata*, & in specie *de rebus & bonis Imperii*, Principatuum, &c. eorumq; divisione.

1. ADministratio *civilis*, sive *Politica* est, quæ ex jurisdictione principis

principis seculari dependet, & circa ea, quæ extra cultum divinum & religionem, principi peragenda sunt, versatur, ad tuendam scilicet ac conservandam pacem publicam.

2. Estq; hæc *togata* vel *militaris*; *Illa* pacis tempore, hæc in *militia* prævalet.

3. De *togata* prior dicendi locus, eaq; in tribus hisce consistit 1. in rebus & bonis Imperii seu principat. &c. curandis 2. negotiis eorundem expediendis. 3. mutuis tum Imperatoris, principum & magistratuum, cum etiam subditorum officiis præstandis.

4. *Rex* & *bona* Imperii, principatuum &c. qualiacunque illa sint, vel sunt *Primaria* vel *Secundaria*.

5. *Primaria*, seu primarió ad eorundem sustentationem quæ pertinent, vel sunt *Patrimonialia*, vel *Fisealia*. Aliud quippe principis, aliud fisci est patrimonium, alia sunt bona Ferdinandi Imperatoris, alia ejusdem ut ArchiDucis Austriæ &c.

Patrimonialia. 6. *Patrimonialia* principis bona, ejusdem propria, sunt, quorum etiam proprietarius videtur.

Fiscalia. 7. Verum *fiscalia* ea sunt, quæ in fisco & ærario Imperii, principatuumve consistunt, quorum etiam curem Imperatores & principes habere debent, *interest enim Reipub. ne fiscus tabescat.*

8. Hæc autem bona fisci eatenus in principis potestate non sunt, ut ab eodem *alienari destrahi* vel *oppignorari* possint.

9. *Ærarii* & *fisci* ratio curandi; modus in tribus hisce consistit 1. in Conficiendo. 2. Conservando 3. Collocando. 4. in remediis augendi & curendi.

Quomodo fiscus conficiatur. 10. *In conficiendo fisco*, ut & honestatis & dignitatis ratio juxta haberi debet.

11. Conficere autem fiscum poterunt, ii, qui habent *jus fisci.*

12. *Jus fisci* olim soli populo Romano competebat, hodie non solum Imperatori, Imperii principibus & statibus competit, sed etiam

etiam magiſtratibus aliis, ut & civitatibus tum Imperialibus, cum provincialibus.

13. Nec ſufficit fiſcum, ſeu jura fiſci habere, niſi etiam *conſerventur*, & demum pro publica ſalute, & commodo *collocentur*. *Conſervetur.*

14. *Conſervandi* verò ærarii & fiſci ratio, ſæpè eſt difficilior, quam conficiendi, ideoque maximam principes in eo impendent curā, ut fiſcum habeant locupletem & benè inſtructum.

15. Ejus quoque conſervationis pars in optima *collocatione* conſiſtit. Quo modo autem fiſcus & ærarium optimè collocetur facilè definiri nequit, ſed pleraque ex circumſtantiis deſumenda ſunt, interim generalis hæc regula tenenda, in hac collocatione ſalutem & dignitatem Reipublicæ eſſe intuendam, res pompoſas & inutiles evitandas eſſe. *Collocetur.*

16. Quo etiam pertinet, ne

princeps nova nomina faciat, ne plus eroget, aut perfundet, quam ferendo sit Respublica &c.

CAP. II.

DE REMEDIIS *AUGENDI & curandi fiscum*, uti de oneribus, & in specie de *collectis Imperii & Provincialibus.*

1. *Modi* & remedia *augendi curandive fiscum*, vel sunt *principalia*, ad hoc singulariter constituta, vel *minus principalia* & ex justitiæ administratione, pœnisque (de quibus lib. seq.) dependent.

2. Modi & *remedia principalia* singulariter ad fisci seu ærarii sustentationem & augumentum constituta alia sunt *licita*, alia *illicita*.

3. *Licita*, vel è subditorum & *privatorum oneribus*, vel è *rerum peregrinarum acquisitione* proveniunt.

4. *Onera* subditorum alia sunt *personalia*, alia verò *patrimonialia* & realia.

5. *Species*

5. *Species* hujusmodi onerum innumerabiles ferè sunt, potissimum tantum sub hisce comprehenduntur. 1. Sub jure collectandi sive tributa exigendi. 2. In vectigalium impositione. 3. In jure decimandi. 4. In annuorum reddituum perceptione.

6. *Collectas*, quæ & tributum, census, contributiones &c. nuncupantur, omni jure, si justa causa subsit, exigere licet. *Collectæ quid?*

7. *Definiuntur* autem, quod sit onus mixtum, (G. E. suo respectu tum ordinarium, cum extraordinarium) quod personis pro rebus imponitur.

8. Suntq; collectæ, hodierno inspecto usu, aliæ *imperiales*, aliæ *provinciales*. *Quotupl.*

9. *Collectæ Imperiales* **des heiligen Reichs anlagen** / sunt quæ ob publicam utilitatem, pacem & tranquillitatem in Imperio, & ubiq; contra hostem Christiani nominis conservandam, necessitate postulante, à Cæsare ex placitis Imperii & statuum voluntate atq; consensu indicuntur.

10. *Collectæ provinciales* Land steuer / sunt quæ, publicam ob necessitatem, ad commodum Reipublicæ, à principibus & Imperii statibus, subditis suis imponuntur, & ab iisdem exiguntur.

Qui collectas imponant.

12. Hinc itaq; apparet, quibus jus collectandi competat, & quinam collectas imponere possint. Collectas enim Imperiales solus *Imperator*, veruntamen cum electorum & statuum consensu imponit, ut clausulæ *Recessibus Imperii* plerunque annexæ testantur.

13. Idem quoq; de aliis *Regibus & magistratibus* superiorem non recognoscentibus intelligendum.

14. Collectas verò provinciales, omnes alii *Regalibus investiti*, *Electores*, *Principes*, *Duces*, *Marchiones*, *Comites*, *Civitates* maximè *Imperiales* imponere possunt.

15. Immò quoque omnes aliæ *civitates*, municipia, *communitates*, *universitates*, *pagi*, *villæ*

bilia pro necessitate, semel ad voluntariam collationem obstringere possunt.

16. Utrum autem quispiam potestatem collectandi habeat, eam tamen nisi *justa ex causa* exsererede debet. *Quam ob causam & de quibus rebus.*

17. *Justæ* verò collectandi *causæ* variæ sunt, *imprimis* autem in necessitate utilitate publica consistit. 2. Si Imperator per principis cujusdam territorium transeat, isq; eo respectu aliquid impendat. 3. Si Dominus vel princeps captivus. 4. Ubi Dominus filio vult acquirere equestrem dignitatem. 5. Pro nova militia seu bello legitime suscepto. 6. Pro elocanda filia, si ita consuetudo ferat. 7. Necessitate solutionis æris alieni urgentis.

18. Quod si ergò justa collectandi causa appareat, quarum una vel altera prædictarum recepto quodam more esse potest, non pro omnibus, sed *quibusdam saltem bonis* eadem est imponenda.

19. Colle-

19. Collecta itaq; imponenda non est 1. pro bonis quibus pauperes quotidiè indigent. 2. pro rebus vilibus. Sed 3. maximè & majori cum utilitate collecta ejusmodi imponitur rebus, quæ luxum & divitias promovent.

Quibus personis.

20. Sic itaq; in genere collecta non nisi *subditis* imponitur per text. *l. munerum 18: §. patrimoniorum & seqq. ff. de munerib.*

21. In specie verò collectarum solutio illi incumbit, *qui bona possidet*, sunt arg. *Recess. Imp. anno 1594.* Hinc 1. possessor domus gentilitiæ collectam Imperialem. 2. Creditor ob rem pignoratam quam possidet. 3. Usufructuarius ob usumfructum. 4. Emphyteuta de emphyteusi. 5. Emptor de re empta, non autem 6 conductor de re conducta collector exsolvere tenetur, sed si fecerit; easdem repetit.

22. A collectis autem regulariter sunt *immunes* 1. Forenses. *l. 18. §. patrimoniorum & seqq. ff. de munerit. l. cum neg. 4. c. de incol.* 2. Personæ Ecclesiasticæ ut clerici &c.

&c. per Dd. in *l. placet* 17. *c. de Episc. & cleric.* 3. Nobiles, idque plerunq; de consuetudine. 4. Doctores & graduati. per *l. Medicos* 6 *c. de profess. & med.* Qui tantũ omnes nonnullis casibus, non secus ac alii collectari possunt.

23. Tandem etiam de jure à collectis sunt immunes. *1.* egeni, qui durâ paupertate premuntur. *l. fin. c. qui mun. lib. R. A. de anno 1582. §.* **vnd nachdem** *in fin.* 2. habens duodecim liberos. *l. 24. c. de decurion.* & tandem *3.* qui immunitatem hanc singulariter acquisiverunt.

24. *Acquiritur* autem *immunitas* à collectis 1. consuetudine. 2. præscriptione. 3. privilegio & concessione, quæ tamen in certis casibus non attenditur, & modis quibusdam esse desinit.

25. *Forma* quâ collectæ imponi debent, alia *externa* est, alia *interna*. *Quomodo & qua forma.*

26. *Externa forma* consistit in eo 1. ut collecta imponatur ita, quemadmodum consuetudine receptum 2. imponenda consensu populi,

populi, ideoq; *collectæ Imperiales* in publicis Imperii comitiis, *provinciales* in conventibus particularibus auff Landt Tagen imponuntur &c.

27. *Interna* collectarum forma, tum 1. in modo imponendi, cum 2. in quantitate spectatur.

28. *Modus imponendi* est duplex per *æs* & *libram* & in *capita*.

29. *Quantitas* in eo est, ut quisp iam pro qualitate facultatum collectetur.

Finis. 30. *Finis* collectatu m primævus est utilitas Reipublicæ.

Effectus. 31. *Effectus* quoq; exinde singularis præluceſcit, quod respectu ejus qui collectas indicit, jus collectandi superioritatis quandam speciem præ se ferat. & quod 2. pro collectis, bona tacitè videantur hypothecata.

31. Deniq; ad effectum referuntur *actiones*, quibus Dominus contra eum qui collectas solvere recusat, & hic contra Dominum nimium gravantem, experiri poterit.

Hæc de collectis.

CAP.

CAP. III.

DE JURE *VECTIGALium*, eorumq; exactione.

1. Alterum genus antiquissimum, ærarii augendi, sunt *Vectigalia*, *portoria*, *telonia*, Zoll/ WegGeldt/ &c. Cujus variæ à Dd. referuntur species in Germania hodiè usitatissimæ, ex ejusq; *usu*, singula metienda.

2. *Vectigalia* à vehendo dicta, definiuntur tributa, quæ debentur principibus vel fisco, propter merces quæ vehuntur. *quid?*

3. Ut verò tributum & collecta sine justa causa non imponitur ita quoq; nec vectigal sine *causa* exigitur. Propterea quod princeps sine justa causa vectigal imperare nequeat. *Ob quas causas.*

4. *Justa* autem & præcipua vectigalis imponendi *causa* est defensio, id est quod plenum & securum iter transeuntibus præstatur, item pontium & viarum reparationes, &c.

5. Teloniorum erectio, & vectigalis exactio cum ad *jura majest. gere & vect.* pertineat, *exigere.* *Quis possit telonia erigere.*

pertineat, & inter regalia referatur. *c. unic. quæ sint Regalia*, hoc jus non omnibus concessum constat. Sed saltem 1. Imperatori *l. 1. & 3. c. de vectigal.* quanquam hoc hodie limitatum, *R. A. de anno 1576.* **Weiters seind wir.** *& A. B. c. 17. in fin.* 2. Cuilibet Regi, principi vel magistratui superiorem non recognoscenti *c. super quibusdam § præterea ibi Regum de §. 5.*

6. Reliquis itaq; *qui superiorem recognoscunt*, jus erigendi telonia, vel vectigalia pro libitu augendi, quamvis non competat, vetera tantum & sibi concessa exigere poterunt, atq; ita exactio vectigalium competit. *Electoribus A. B. tit. 9.* Reliquis *Imperii principibus* & statibus qui Regalia habent, ex consuetudine vectigalia exigere licet.

7. Quod autem *civitates & communitates*, ob necessariam & communem causam, gabellas accisias, **Ungeld** imponere consueverunt, hoc non ex jure Regalium sed vi conventionis & pacti inter sese faciunt.

§. Hæc

8. Hæc in tantum vera sunt, ut si alius quispiam præter Imperatorem, vectigalia nova imponere, vel vetera augere velit, contra eundem dentur remedia, juris & actiones. Nisi iidem jus imponendi & augendi sibi acquisierint legitimè 1. consuetudine, 2. præscriptione. 3. concessione & privilegio.

Quinam vectigal exsolvere teneantur & non.

9. Ubi ita legitimus vectigalium exactor existit, regulariter *quilibet* prætervehens vectigal expendere debet *l. omnium 9. & l. seq. c. de Sect. comm. tot. tit. de immunit. nem conced.*

10. Quod sanè ita procedit, *nisi* quis *immunem* se à collectis esse probat; immunitas hæc alicui competit, ratione proprii status, vel quod eam legitime acquisierit.

11. *Ratione status* à vectigalibus immunis est 1. Fiscus. 2. Nobilitas tum superior, cum inferior id est Principes, Comites & Illustres Germaniæ, ut & nobiles immediati, die freye Ritterschafft / ex consuetudine hanc immu-

immunitatem ſtabiliunt, ut & privilegio *Div. Imperat. Caroli 5. & Rudolphi 2.* ut & 3. Legati exterarum gentium *l. legatis 8. c. de vectigal.* 4. Perſonæ Eccleſiaſticæ *Auth. item nulla communitas c. de Epiſc. & Cleric. l. placet C. de SS. Eccleſ.* 5. Ii qui in academiis vivunt. per *Auth. habita C. Ne filius pro patre.* 6. Immunes ſunt Navicularii *l. 1. c. de nabicul. ſeu naucler.* & ſimiles.

12. Denique etiam illi immunes ſunt à vectigalibus, qui eandem immunitatem *legitimo acquiſîtêre* modo, quod fieri poterit, 1. præſcriptione. 2. privilegio & conceſſione &c.

13. Notandum tamen, quod quamvis quispiam immunis ſit, eundem tamen mercium transportationem publicano intimare *ſchedulam immunitatis* vulgò ein Paß Brief/petere teneri.

14. Qui verò nullâ immunitate gaudent, *in tantum* vectigal exſolvere tenentur, ut niſi idem fecerint, ſtatim de jure communi, *res in commiſſum incidant*, & earum

earum Dominium ipso jure transferatur in Dominum vectigalis. *l. commisse. ff. de public. & vectigal.* & similib.

15. Regulariter etiam *de omnibus rebus*, quæ comercii causa loco aliquo evehuntur aut invehuntur vectigal exsolvendum. *l. omnibus C. de vectigal.* *Quibus rebus imposita natur.*

16. Sunt tamen nonnullæ, quæ á vectigalium solutione sunt *immunes*, veluti 1. Res quæ flumine exsiccato, quispiam cogitur extra territorium ad molam deferre 2. Res de quibus hactenus non exsolutum vectigal. per *l. 9. §. earum rerum ff. de public.* Item 3. quæ usus proprii causa portantur vel vehuntur *l. fin. §. Divus ff. de public.* 4. Res eorum, qui immunitatem à collectis habent, de quibus paulò antè. & simil.

17. Vectigal autem *injustè* & *illicitè* exigendū nō est, olim equidem octava pars pro vectigali debeba- *Quomodo,*

debebatur. Hodiè ab ea receſſum, quantumq; vectigalis exſolvendum, conſuetudo, privilegii tenor & conceſſio cujusq; telonii oſtendit arg. *l. 4. §. earum rerum ff. de pub. l. pen. c. de vectigal.*

Finis. 18. Eo potiſſimum *fine* vectigalia inſtituuntur, ut Domini territoriorum peregrinantes, eò melius ab injuria latronum & graſſatorum defendere & vias publicas exſtruere poſſint.

Effectus. 19. *Effectus* generalis hic eſt, *1.* quod vectigal accipiens videatur tacitè obligatus de ſecuritate danti præſtanda. *2.* Quod princeps vel alius vectigalia habens, eadem locare poſſit. *3.* Quod hinc inde naſcantur actiones, tum Domini vectigalium contra illum, qui eadem non exſolvit, & vice verſa, *Hæc quoq; de vectigalibus.*

CAP.

CAP. IV.

DE *DECIMIS ANNUIS reditibus*, auri & argenti *fodinis*, *salinis* &c. quibus ærarium augetur & curatur, aliisque modis.

Decimæ.

1. Tertiò ærarium & fiscus augetur curaturque *decimis*, earumq; perceptione.

2. Nam quamvis decimæ divina auctoritate constitutæ soli Deo in recognitionem universalis Dominii ut dicitur in *c. trianobis de decimis*, & sic deinceps per consequentiam clericis & Ecclesiasticis debeantur.

3. Unde etiam *olim*, quod laici decimas possidere non possent eosdem nec jus percipiendi decimas acquirere posse, Canonistæ sibi persuadebant.

4. *Hodie* tamen multis hoc immutatum esse videmus, & non tam Ecclesiasticos, quam principes & status Imperii, ut & civitates & nobiles, aliiq; plebei, jus decimandi, consuetudine, præ-

scriptione, vel etiam aliis modis sibi tribuunt.

5. Ex quo decimandi jus uti in superiorum magistratuum persona *inter Regalia* refertur, sic in minorum gentium magistratibus *jurisdictionis* species est.

6. Unde hodie *Decimas nuncupo* omnium bonorum licitè quæsitorum, quotam partem (sive decimam) quæ primitus ex divina constitutione Deo, & cultui divino inservientibus debetur, consuetudine tamen præscriptione aliisq; modis, ad Electores, Principes, aliasque tam publicas quam privatas personas pertinere cæpit.

Annui reditus.

7. Decimis hisce effectu persimiles sunt *annui reditus*, à redeundo dicti, id est quod certo tempore, facultas eosdem exigendi redeat.

8. Reditus hi sunt jus, certos fructus, vel certam pecuniæ summam exigendi, principibus præcipuæ, cum etiam aliis, vel ex jure reali vel personali, competens,

petens, Germanice dicitur Pacht Zinse &c.

9. Huc etiam pertinent *auri Auri & argenti fodinæ*, quibus optime *gentil fodi-* & saluberrime æraria augeri & cu- *næ.* rari possunt.

10. Hæ autem auri & argenti fodinæ, quamvis *olim* Imperatori soli competebant, *c. unic. verb. Argentinæ tit. quæ sunt Regalia*, Ipsique principes electores, de in dominiis suis existantibus, Imperatori decimas solvere solebant.

10. *Hodiè* tamen *Regi Bohemiæ*, aliisq; priucipibus *electoribus* permissum, ut & ipsi universas in principatibus suis tepertas fodinas, & mineras tenere juste possint per *tit.* 9. *A. B.*

11. Nec solum hodie prædictis Do. Electoribus, sed etiam aliis *Principibus & statibus*, vel ex peculiari concessione, vel ex immemoriali præscriptione, vel ex investitura jus hoc acquisitum est, quod præsupponitur in *Recess.*

Imp. de anno 1551. §. Weiter ſo ſetzen wir.

Salinæ

12. Quod itidem de *Salinis* ſentiendum, quæ ad Regalia plerunq; pertinent &c.

Acceſſio rerum peregrinar.

13. Deniq; utiliſſimè Imperator & principes curant & augent ærarium, *rerum peregrinarum acceſſione*, quæ fit vel *jure belli* vel *matrimonio* aliaq; fideli cura. Tantum de mediis licitis.

Illicita remedia.

14. *Illicita remedia*, quibus ærarium augetur, heri & hodiè fuerunt varia, omnibus penè, qui principibus placere ſtudent, plus quam notiſſima, ideoque enumeratione, multò minus recommendatione hoc loco non indigent, ad quam claſſem referendi modi iniquiſſimi. 1. Quo naufragorum bona fiſco applicantur. 2. Bona quaſi vacantia legitimis hæredibus auferuntur, & magiſtratus nullo jure ad ſe pertrahunt & tandem 3. Quorundam locorum conſuetudo, quâ non amplius decimam ſed hodie etiam tertiam partem den dritten pfenning emigrantes è civitate vel lo-

co quodam, sine discrimine, ejusdem loci magistratui relinquere tenentur.

Hæc de rebus & bonis Imperii principat. &c. Primariis, & quemadmodum augeri & curari possint.

CAP. V.

DE *BONIS SECUNDARIO* ad principis curam pertinentibus, communibus, privatis &c.

1. Res & bona secundariò principum & magistratuum curæ subjacentia sunt vel *communia*, vel *privatorum propria*.

2. *Communia* illa nuncupo, quæ omnium sub uno eodemque magistratu habitantium plerunq; usui patent, ut sunt, agri pascua & similia.

3. *Privata* subditorũ bona sunt res privatæ quæ in privatorum & singulorum hominum dominio sunt *arg. §. singulorum. inst. de rer. divis. l. 1. §. privatæ A. eod.*

4. Hæ quamvis, Imperii & civitatum sint divitiæ; Interest enim & Reipub. locupletes habere subditos. *Novel. 8. in præfat.*

5. Attamen propriè & omnimodo in Imperetoris & principum potestate non sunt, sed illi quidem Imperio, singuli verò subditi dominio possident.

6. Unde est quod Imperator, Principes, vel Magistratus, ejusmodi res subditis suis temere auferre non possint, sed si quid tale tentaverint, ad refusionem pretii teneantur. vid. *l. 43. de evict. substit.* aliàs enim clausulas adjici solet, ne ea res sit tertio damnosa. *l. 2. §. meritò. ff. ne quid in loco publi.*

CAP. VI.

QVIBUS MODIS HÆC *subditorum bona curantur & augentur* à Principe.

1. Hæc subditorum bona & res, cum principibus & magistratibus itidem (ut dictum) curæ esse

esse debeant, conservantur & augentur extra justitiæ administrationem à principe vel magistratu 1. Commerciorum & mercaturæ. 2. Artificiorum institutione & promotione.

1. *Commercia* sunt negotiationes, quas cum publicæ necessitati subveniendi, tum honesti lucri faciendi causa, in mercibus licitis frequenter permutandis & emendis, vel cives inter sese, vel cum peregrinis exercent. *Commercia.*

3. Hæc in Republica sunt necessaria, Principesque ejusmodi comercia & mercaturam fovere & promovere debent.

4. *Promoventur* autem commercia 1. Concessione & permissione *nundinarum*, quæ vel *solennes* sunt vel *minus* coſenne. *Illas* ut sunt nundinæ Francofurtenses solus Imperator concedit. *Has* verò quilibet princeps inspectis tamen diligenter hinc inde circumstantiis, civitatibus & subditis suis, con- *Nundinæ.*

concedere hodie ex consuetudine poterit.

Stapulis & postis. 5. Secundò *stapularum* & *postarum* erectione, quas stapulas & postas, solus Imperator erigere poterit. Et maximopere tum peregrinantibus, cum etiam negotiantibus prosunt.

Annonæ & Monopol. prohibione. 6. Prohibitione *monopoliorum* & *annonæ* Annonæ quippe caritas non tam remediis certis fugienda sed etiam ejusdem flagellatores puniendi sunt: Immò etiam *Monopolia* sub pœna confiscationis & exilii prohibenda. *l. unic. C. de monopoll.* quod insuper etiam Recessus Imperii variis in locis efflagitant.

Artificii 7. Nec minus *artificiorum* promotio & cura res singulorum promovet augetq; ideoque principi, hæc quoq; curæ esse debent.

8. *Promoventur* autem *artificia* (quod tamen cum comerciis commune habere videntur). 1. Bona moneta durch gute besten dige Münze. 2. Itineribus securis sichere Strassen. 3. Salvo conductu sicher Gleitt.

9. Nil

9. Nil amplius ad promovenda comercia & artificia utile & necessarium, quam *bona & constans moneta*, expedit enim Reipublicæ ut ratio numaria sibi constet, nec ulla temporum aut locorum varietate mutetur. Secus si fiet, maximam mercaturæ & subditorum jacturam inferet. *Bona moneta.*

10. Hæc autem percutiendi monetam potestas 1. & quidem principaliter competit Imperatori seu principi Romanorum. per *l. 2. C. de falsi. monet.* *Secundo* etiam aliis Regibus, Principibus & magistratibus superiorem non recognoscentibus.

11. Denique etiam idem jus beneficio majestatis, & Imperatoriâ concessione, usurpant *Electores*, & alii *Principes*, ac *Comites*, ut & *Civitates* inferiores, non modo immediate Imperio subjectæ, sed etiam quædam aliæ per *Recess. Noriberg. anno* 1524. §. deßgleichen hat der *Recess. August. de Anno* 1551. §. so haben wir vns &c.

12. Quo tamen jure legitimè & secundum præscriptum Legum, ne inde Imperii dignitas vilior efficiatur, uti debent, memores exempli *Caroli Magni*, cui jus hoc tam Augustum & sanctum fuit, ut nullibi quam in ipso palatio monetam cudi voluerit.

Itineribus securis.

13. Deinde post monetæ curam Imperator, & principes Imperii curabunt, ut *secura* sint *itinera*. *l. congruit. ff. de offic. præsid.* Hoc quippe officium bono principi incumbit, & ex itinerum securitate boni principis & magistratus dignoscitur regimen.

Salvo conductu.

14. Itinerum securitati inservit *salvus conductus*, sicher Glaid/ Namque ad vias publicas & itinera pertinet etiam, die Glaidtliche Obrigkeit auff freyer Kayserlicher heer- vnd Reichsstrassen zugleiten/ ut enim viæ publicæ olim populi, sic hodiè domini territorialis sunt. arg. *l. littora. 3. ff. ne quid in loco publ.* & similib. Prædicta hæc omnia plura-

plurimum conducere principibus & magistratibus, eorumque non tam auctoritatem, quam etiam subditorum commoda promovere, exemplo *Philippi Landgravii Hassiæ* claudam dicentis. **Man sol einen guten Fürsten bey reiner Strassen/ guter Müntz/ vnd haltung beschehebter Zusag erkennen.** Quibus ea quæ hoc loco, de rebus & bonis Imperii seu principibus curandis, dicenda, & pro instituto, proponenda finio.

§ §

EPITO-

EPITOMES
Jurisprudentiæ Publicæ universæ

LIBER VII.

QVI TRADIT NEGOtia Imperatoris, Principum & Magistratuum *cum suis* subditis *pertractanda.*

Continuatio. Absoluta cura rerum & bonorum Imperii, Principatuum, &c. quomodo eadem curanda augenda & promovenda, sequuntur jam negotia Imperii & Principatuũ, Reichshändel / optimè expedienda.

CAP. I.

DE NEGOTIIS IMPERII, Principatuum, *&c. quibus q; modis illa expediri possint, & in specie de* comitiis. *eorum q; jure.*

1. *In*

1. IN negotiis Imperii, Principatuum &c. quæ Imperatori principibus, & magistratibus expedienda incumbunt, inspiciendus *primò* modus & forma expediendi. 2. Quænam & quotuplicia illa sint.

2. *Modus* & *forma* expediendi in eo consistit; Quod tum aliquandò *publicè* in conventibus Publicis, cum quoq; *privatim* in aula expediri soleant, de quo posteriori modo agitur supra, ubi de consiliariis.

3. *Publicos conventus* nuncupo *Comitia* quæ ideò indicuntur, ut in iis graviora Imperii & principatuum negotia expediantur.

4. *Comitia* à coeundo, vel comeundo ita dicta, describuntur, quod sint conventus totius corporis Imperii, aut partis, ad aliquid scisc̃dum decernendumvè Reipub. causa. *Comitia unde & quid?*

5. Eaq; sunt vel *universalia* vel *particularia*. *Quotupl.*

6. *Universalia* autem comitia sunt, ubi Imperatur & reliqui status. *Universalia.*

ſtatus univerſi, ex quibus Imperium Romano-Germanicum, conſtitutum eſt, conveniunt, Germanicè Reichstag.

Cauſa efficiens. 7. *Efficiens* horum comitiorum eſt ſumma majeſtas; Imperator quippe ſolus in Romano-Germanico Imperio comitia indicere poterit. Id tamen conſenſu electorum uti expreſſum in *capitulat. Caroli* 5. & teſtantur Imperii *Receſſ. Ratisp. de anno* 1576 §. haben wir eine gemeine/ &c.

Impellens, & quas ob res. 8. *Cauſa ob quam* Comitia indicuntur, eſt vel *generalis*, vel *ſpecialis*.

9. *Generalis* eſt Imperii ſalus, ſiquidem in iſta conſultatione, totum Regnum repreſentatur, & tota ſalus Regni in deliberationem cadit.

10. *Speciales* cauſæ comitiorum ſunt 1. ut matricula Imperii redintegretur. 2. pax in Imperio conſervetur. 3. de bello Turcico, 4. Cameræ Imperial. viſitat. reviſione & ſimiles.

Perſonæ ad 11. *Perſonæ* ad ejuſmodi Comitia

mitia vocandæ, sunt Imperii sta- *comitia so-*
tus, qui quoad hanc materiam *candæ.*
distinguntur in tres classes. 1. cõplectitur electores. 2. Principes, Comites, Barones, Prælatos. 3. Civitates liberas.

12. Qui tres ordines comparent vel *per se* vel *per legatos.*

13. Ubi nullo modo comparent, *absentium* non haberur ratio, sed *præsentes* pro majori votorum parte concludunt, & quod conclusum non minus absentes, quam etiam præsentes tenet. qua de re exstat *constitutio in Recess. anno* 1500. *§.* nachdem auch etliche.

14. *Tempus* quo Comitia ce- *Tempus.*
lebranda, erat olim annuum ex *Recess. Imp. Colon. anno* 1512. *Hodiè* moribus apud nos non obtinet.

15. *Locus* in quo, nec etiam *Locus.*
hodiè est determinatus, nisi quod hactenus in civitate aliqua Imperiali, comitia celebrari solita sint, quemadmodum, ex omnibus Imperii Recessibus constat.

16. De-

Forma procedendi

16. Demum succedit *forma & modus* quo scilicet in comitiis procedatur, qui in nonnullis requisitis exstat.

17. *Requisita* illa comitiorum sunt vel *antecedentia* vel *concomitantia*.

18. *Antecedentia* pertinent vel *ad officium Pappenheimii* Marschalli, vel ad *status ipsos*, eorumve legatos.

19. *Ad officium Mareschalli* quæ pertinent consistunt potissimum 1. in diversoriorum designatione. 2. Legum quarundem super æquabili rerum pretio promulgatione. 3. excubiarum lustratione &c.

20. *Status* vel *eorundem legatos* concernit, ut advenientes 1. Moguntinum & Marschallum de adventu suo certiores faciant, & 2. si legati nomina Moguntino profiteantur, mandatiq; sui documentum exhibeant. Deniq; 3. Cæsarea majestati adventanti statuſ eorumve legati primarii obviam procedant.

21. *Concomitantia* absolvuntur partibus

partibus tum *externis*, cum *internis*.

22. *Externæ* duæ sunt, *consentus* & *sessio*, quo ordine vero Imperator, electores reliquique status sedeant. Quoad *electores* certa sedendi formula *A. B. tit. 4.* est præscripta. Reliqui ordines adhuc inter se disceptant.

23. *Partes internæ* etiam duæ sunt, *propositio* & *causæ tractatio*.

24. *Propositio* est negotii sive rei in Comitiis tractandæ & consultandæ, à Cæsare ejusve commissario facta expositio.

25. Ipsius *causæ tractatio* constat 1. propositionis recapitulatione, id est, ejusd. repetitione, 2. disceptatione, facta ejusd. repetione, de capitibus propositis, in singulis statuum collegiis instituuntur disceptationes. 3. Consensu, id est ordinum vel omnium, vel maximâ eorundem parte in idem placito, quod per vota eaq; majora & saniora expeditur. 4. Relatione ad Imperatorem. 5. confirmatione & promulgatione, atque ita comitia re confecta dissolvuntur.

Hæc

Hæc de generalibus seu universalibus comitiis.

Particularia. 26. *Particularia* comitia rursum sunt duorum generum. In quibusdam enim *certa* tantum *pars*; In quibusdam verò *ex universo ordinum collegio*, quidam *selecti* conveniunt.

27. *Pars* quæ convenit est vel *certæ classis*, vel *certi loci* ac regionis Imperii.

28. *Certæ classis* est electorum conventus, qui instituitur vel 1. ob electionem Regis Romanorum dicitur; vulgo ein Wahl-Tag/ de quo supra *lib. 2.* Vel 2. propter alia negotia publica & privata, vulgo Churfürsten-Tag/ Tales autem conventus electoribus singulis annis absque speciali veniæ impetratione decernere licet ex *constitut. A. B. c. 12. ut & Capitulat. Imperat.*

Comitibus electorum.

Conventus circulorum. 29. Ex *certis locis* ac regionibus Imperii congregatorum ordinum sunt *Conventus circulorum*, vulgo die Kreiß-Tage. Quod Imperii membra in certos distribuantur circulos, supra *lib. 1. c. 3.* tradi-

traditur, vid. etiam *Recess. Colon. anno* 1512. §. darauff haben wir/ &c.

30. Ubi *ex universo ordinum collegio* quidam selecti conveniunt, est *deputatorum* vel *visitatorum Camera.*

CAP. II.

DE IPSIS *IMPERII NEgotiis*, *quotuplicia* illa, & in specie de *Legibus*, earumque *Sanctione* in genere.

1. Hactenus de modo & forma, quâ Imperii negotia expediuntur. Sequuntur jam *negotia ipsa* Eaque expediuntur *vel* ab Imperatore principibus & magistratibus Imperii cum suis subditis, *vel* inter sese & cum peregrinis.

2. *Negotia*, quæ Imperator, principes & magistratus cum suis subditis expediunt, ea sunt 1. Legum necessariarum Sanctio. 2. Earundem execu-

executio, in justitiæ administratione, & judiciorum constitutione consistens. 3. Censuræ observatio &c.

Leges. 3. *Leges* in qualibet Republica, præsertim Imperiis tam amplissimis esse *necessarias*, dubium nullum est.

4. Sunt autem Leges vel *Divinæ*, vel *humanæ*.

Divinæ. 5. *Divinas* rursum facio duplices, *vere divinas & quasi.*

6. *Verè divinæ*, rursū sunt triplices. 1. morales. 2. ceremoniales. 3. Forenses.

7. *Leges morales* continent immutabilem Dei voluntatem, & immotam æternæ justitiæ regulam, omnibus præscriptam, consistentem præcipuè in Dei cultu, parentum reverentia & dilectione proximi *Deut.* 17. 18. 19.

8. *Leges ceremoniales* continent doctrinam de ceremoniis hoc est de externis actionibus seu ritibus circa cultum divinum, quæ cum Christo mortuæ, & nos amplius non obligent.

9. *Leges forenses* cernebant politiam

politiam judaicam, actiones & judicia, jn deq; forenses & judiciales dictæ, quæ etiam nos non amplius obligant.

10. Leges *quasi divinas jus Canonicum* appellito, Pontifices enim & Pontificii constitutionibus & traditionibus suis Deum æmulantur. Hoc jus Canonicum à Pontificibus congestum nos non obligat, nisi quatenus voluntariò receptum. *Quasi divinæ.*

11. *Leges humanæ* vel omnibus videntur *communes*, vel quibusdam *propriæ*. *Humanæ.*

12. Quæ omnibus sunt *communes*, illæ vel sunt *naturales* vel *gentium*.

13. Leges seu *jus naturale* est, quod natura omnia animalia docuit, *princ. inst. de I.N.G. & C. l. 1. §. jus naturale ff. eod.* *Naturales.*

14. Leges seu *jus gentium* est, quo gentes humanæ utuntur &c. *l. 1. §. 4. ff. de just. & jur.* *Gentium.*

15. Leges cuipiam populo *propriæ* sunt *civiles* à quolibet populo constitutæ, eæq; sunt *scriptæ* vel *non scriptæ*. *Civiles.*

16. Lex

Scriptæ. 16. *Leges scriptæ*, quoad Imperii Romano-Germanici status sunt vel *universales*, vel *particulares*.

CAP. III.
DE *LEGIBUS UNIversalibus*, earumque Sanctione.

Quid? 1. *Leges universales* illas nuncupo, quæ ab Imperatore Romano, universis ejusdem subditis dantur.

Causa efficiens. 2. Cum autem Leges universales condere, *supremæ majestatis* sit Symbolum sequitur, Legem universalem condere, solius Imperatoris esse. *l. fin. c. de LL. l. si quando C. de inoff. testam.* & simil. idem quoq; obtinet in aliis Regibus & Magistratibus superiorem non recognoscentibus.

3. *Hodie* tamen Imperator Romano-Germanicus, constitutiones & Leges Imperii in Comitiis, *consensu procerum Imperii* promulgat, unde etiam Recessus Impe-

rii

rii non Imperatoris, Reichsabschiede/ nicht des Käysers abgesetze nuncupantur in Recess. passim.

4. *Materia* Legum varia est, siquidem variis de rebus, prout illæ incidere solent, leges feruntur, quemadmodum in jure Romano, aliisq; videmus statutis. *Materia.*

5. *Forma* Legum alia *interna* est, alia *externa*. *Forma.*

6. *Interna* Legum forma, in justa ratione ad Legis Sanctionem legislatorem impellente consistit. Hæc est in *suprema populi salute.*

7. *Forma* Legum externa, nec tamen essentialis, in eo est, quod scriptura comprehendantur, quo melius observari poterint, nec ideo scriptura de earundem essentia est, ratio est in *l. 6. quis bon. cedet. poss.* arg. *l.* 32. 33. 35. *ff. de legib.*

8. *Finis* Legum *generalis* est, ut earum præsidio ab omnibus injuriis tuti simus teste *Cicerone lib.* 1. *de offic. Specialis*, ex cujusq; legis speciali ratione ob quam lata, dependet. *Finis.*

9. Leges

Promulgatio. 9. Leges ita latas esse non sufficit, sed præterea etiam *promulgandæ*; ad hoc enim ut lex obliget publicari debet *nob.* 66.

Effectus. 10. Legum *effectus* hic est, ut omnes obligent ad scientiem. *l. leges de Legib.* ad obedientiam, vel ad pœnam. *l. 2. ff. de Legib.*

CAP. IV.

DE LEGIBUS PARTICULARIBUS, & in specie de *Legibus provincialibus & Statutis.*

1. Legum particularium duæ sunt species. 1. Leges provinciales & statuta. 2. Privilegia.

Quid? 2. *Leges provinciales*, quæ & municipales vel statutum nuncupantur **Landtrecht oder Stadt Recht**/ sunt jura particularia, à principibus, statibus Imperii aliisq; magistratibus, in suis territoriis, civitatibus & districtu sancita.

Causa Efficiens. 3. Ejusmodi legem specialem & localem *electores*, omnesq; alii Germa-

Germaniæ *principes & status* promulgare possunt, quod ita receptum, daß der gemeine Außschuß von der Landschafft/ das seyn die von der Ritterschafft/ vnd die von vornehmen städten darzu beschrieben werden.

4. Immo hodie quævis *universitas*, municipium, civitas, quamvis Imperatori aliisve superioribus subjecta statutum seu legem localem sibi facere potest demum 2. idem possunt collegia licita & approbata, ut puta mercatorum sanctorum &c. 3. Familia quævis, nobilium &c. 4. Pars quædam civitatis.

5. *Materia*, *forma* & *finis* harum Legum & statutorum cum superioribus coincidit. *Materia.* *Forma.* *Finis.*

6. *Effectus* earundem est, quod statuta & leges municipales certo sint loco inclusæ, nec ultra eundem operentur. 2. Quod tantum habeant efficaciam, ut etiam legi generali derogent. 3. Non tamen extra casus in iisdem expressos extendi debent. Unde *Effectus.*

quoq; 4. Strictè & secundum literam sunt interpretandæ &c.

CAP. V.
DE *PRIVILEGIIS* EOrumque concessione.

Quid? 1. Altera Legum particularium speciem *privilegia* repræsentant, quæ quasi leges privatorum dictæ, quia seorsim & sigillatim constituuntur *c. privilegia dist.* 3.

2. Privilegium itaq; est jus singulare, certæ personæ vel rei, ob aliquam æquitatis rationem, contra communes juris normas indultum. arg. *d. c. privilegia dist.* 3.

Quotupl. 3. Dispescuntur privilegia, quod alia sint *personalia*, alia *realia. l. privilegia* 196. *de Reg. jur.*

4. *Personalia* sunt, quæ propter solam personæ conditionem sunt indulta, id est, quando persona proxima beneficii causa est, quæ ad personas non transeunt, sed

sed cum ea simul exspirant. *d. l. privilegia 196. de R. I.*

5. *Realia* privilegia sunt certæ alicui causæ concessa, quæ ad quosvis successorem transeunt, arg. *l. 3. §. de censib. & simil.*

6. *Causa efficiens* privilegio-rum 1. est *Imperator*, cum enim Imperator solus juri communi derogare possit, sequitur eundem etiam solum privilegia dare posse, *l. 1. §. fin. l. 3. ff. de constit. Principi.* *Causa efficiens.*

7. *Secundo* idem poterit *Rex Romanorum* statim post electionem, consentiente tamen, si adhuc vivit Imperatore 3. Omnes alii *Reges & Magistratus* superiorem non recognoscentes 4. etiam *Principes* alii & magistratus superiorem recognoscentes privilegia concedere possunt.

8. Privilegia autem non nisi *subditis* conceduntur, privilegiorum quippe datio superioritatem arguit.

Materia. 9. *Materia* privilegiorum in variis consistit, quemadmodum de Legibus ante dixi, modo enim privilegium pœnam, onus, servitutem remittit, modo supra aliquid indulget &c.

Forma 10. *Forma* privilegiorum itidem *interna* est vel *externa*; *interna* in justa eorund. ratione consistit, i. e. talia sunt concedenda privilegia, quæ nec tendunt in alterius præjudicium, nec alteri incommodum afferunt. arg. *l. nec adeo. 4. C. de emancip. liber.*

11. *Forma externa* in eo est, quod privilegia scripturâ constare debeant, quæ si desit nullius, sint momenti excepto casu. *l. 2. C. de mandat. Princip.*

Finis. 12. *Finis* privilegiorum est, ut eorum concessione alicui benefaciamus, ut jus singulare concedamus, seu onus &c. remittamus.

Effectus. 13. *Effectus* privilegiorum varius est 1. Quod eorum concessio superioritatem inducat, idque à parte concedentes. 2. à parte vero cui concessum, quod eo ipso pro

pro tenore concessionis uti possit. Qui tamen *effectus cessat*, ubi privilegiatus cum privilegiato concurrit, tum enim privilgio suo, contra privilegiatum uti nequit. *c. cum causa de præbent &c.* Circa hæc demum privilegia occurrit, eorundem 1. confirmatio, 2. interprætatio, 3. probatio, 4. extensio, 5. correctio, 6 amissio. & similia jura.

CAP. VI.
DE LEGIBUS NON scriptis consuetudine & æquitate.

1. *Leges non scriptæ*, sunt 1. consuetudo, & 2. æquitas.

2. *Consuetudo* est jus tacito populi consensu introductum. *§. consuetudo sine scripto inst. de jur. nat. G. & c. quid?*

3. Consuetudo *duplex* est; alia *generalis*, quæ est instar legis, alia *specialis*, quæ vim habet statuti, sive legis municipalis. *Quotupl.*

Causa efficiens materia.

4. *Causam efficientem & materiam* consuetudo cum Legibus scriptis habet communem, ita ut qui legem ferre, & quibus de rebus lex sanciri, ii etiam, & illis de rebus consuetudo introduci possit.

Forma.

5. *Forma* consuetudinis introducendæ diversa est. 1. enim requiritur, ut sine scripto constituatur. 2. Tacito populi majorisve partis consensu. per *text. in l. sed & ea ff. de legibus.* 3. Legitima adsit præscriptio. per *text. in c. fin. de consuetud.* 4. deniq; frequentia actuum per text. *in l. 1. C. quæ sit long. consuet.*

Finis effectus.

6. *Finis & effectus* consuetudinis est 1. *imitari* legem tam quoad auctoritatem, quam pœnam transgredientium *§. sine scripto Inst. de I. N. G. & C.* 2. *Interpretari* legem *l. 37. ff. de legibus* 3. *Confirmare* legem, quia leges firmantur, dum moribus utentium comprobantur. *c. in istis distinct. 4.* 4. Legem *abrogare*, & scilicet contrarium, quam quod lege cautum inducat.

7. Hue

7. Huc etiam spectat *probatio* consuetudinis ab allegante faciendæ, quæ fieri potest, tum 1. per actus exercitos. 2. testes, cum etiam 3. Doctorem excellentem.

Æquitas.

8. Altera legis non scriptæ species est *æquitas*, cuilibet admodum necessaria.

9. Hæc *definitur* jus non scriptum; ad scripti juris interpretationem, & supplementum quoddam ejus, quod deerat, ex vera ratione accommodatum.

10. Estq; alia *naturalis & civilis. l. 1. §. 1. C. si 15. qui testam. lib. esse jus l. bona fides 31. ff. depositi.*

11. *Naturalis æquitas* est, quæ jus scriptum ex naturali ratione interpretatur & emendat.

12. *Civilis æquitas* est, quæ ex civili ratione jus scriptum interpretatur & emendat.

Tantum de Legum sanctione.

CAP. VII.

DE *LEGUM EXECUTIONE*, jnſtitiæ adminiſtratione, & in ſpecie *jndicium*, & *judiciorum* diviſione.

1. Nec ſufficit ſancire leges, niſi & obſervantia vel *executio* earundem ſubſequatur.

2. *Executio Legum* in juſtitiæ adminiſtratione conſiſtit, eaque Imperatori principibus & magiſtratibus admodum neceſſaria eſt.

3. In *juſtitiæ adminiſtratione*, attendendæ 1. Perſonæ juſtitiam adminiſtrantes. 2. Forma & locus in quo juſtitia adminiſtranda. 3. In quibus juſtitiæ adminiſtratio conſiſtat.

4. *Primò* perſonas quod attinet, vel Imperator ipſe ſive principes & magiſtratus, vel denique Judices ab iiſdem conſtituti juſtitiam adminiſtrare ſolent.

5. Imperat. ſanè & regio majeſtatis ut & principum magiſtratuumve proprium eſt, ut ipſimet quere-

querelantium exaudiant preces. Maximè ubi magnates eorumque Judices jus denegant, vel in jure reddendo negligentes existunt.

6. Verum cum tantam molem sustinere, causarum multitudinem exaudire, impossibile sit, quapropter prudentes & probi ab iisdem constituendi *judices*, qui in judicando vices eorundem gerant, & fideliter justitiam administrent. *Judices.*

7. Hæ ergo sunt personæ justitiam administrantes, solet autem *solenniter* justitia administrari & exerceri idq; in *judiciis* ad hoc singulariter institutis.

8. *Judicium* definitur, quod sit legitima controversiæ, quæ est inter actorem & reum, apud judicem disceptatio & dijudicatio. arg. c. *forus* 10. *ibi dum discutitur.* & c. de b. 5. *Judicium. quid?*

9. Judicia autem (ut ad publicum Imperii statum, hoc loco saltem me convertam, reliquæ enim judiciorum divisiones & species, in processu judiciario diligentiùs investigantur) sunt vel *ordinaria* vel *extraordinaria.* 10. *Quotupl.*

10. *Ordinariorum* Imperii judiciorum distinctio desumitur, & quidem 1. à persona judicante, sive judicæ. 2. à persona judicanda. 3. à causa de qua disceptatur & in judicium deducitur.

11. *Personam judicantem*, quod attinet judicia Imperii alia sunt Imperatoris & Imperii *universalia*; Alia verò, electorum, principum & statuum Imperii *particularia*.

12. Judicia Imperialia *universalia* tria hæc sunt 1. in Aula Cæsarea das Käyserliche Hoffgerichte. 2. in Camera Imperiali, das Kammergericht. 3. in dicasterio Rothwillensi, Quod tamen ad certum saltem districtum, fundatum.

CAP. VIII.

DE AULICO JUDICIO, vom Käyserlichen Hoffgericht/ Camera Imperiali & dicasterio Rothwillensi, &c.

1. Ju-

1. *Judicium aulicum* Cæsareum, exercetur tum *in Comitiis Imperii* auff Reichstagen / (de quo modo supra c. 1.) Cum *in ipsa Imperatoris aula* am Käyserlichen Hoff / ins Reichs Hoffrath. *Judicium Cæsareum. aulicum.*

2. In quo equidem Imperator summus præses, attamen hoc ipsum Imperii judicium non immeritò nuncupari posse, exinde constat, quod *Archiepiscopo Moguntino*, ubi ejusdem *Archicancellario*, eadem cancellaria juramento obstringatur.

3. Pertinent autem eo causæ præcipuè, solius Imperatoris judicium requirentes, qualis controversia de Ducatibus feudisque Imperii majoribus *ord. Cam. part. 2. tit. 7.* & similes.

4. In hac vero *Imperatoris aula*, seu judicio, aulico, præsertim in causis arduis, *judiciarius ordo* non observatur. Ad hasce enim juris civilis solennitates Imperator non tenetur.

5. A judicio aulico diversū obti- *Camera*

Quid? net *Camera Imperialis*, sive judicium Camerale quod describitur supremum Imperii tribunal, quo apud Imperii judices sive assessores legitima rei controversæ inter litigantes tractatio instituitur.

6. Constitutum est hoc Camerale judicium à Rege Romanorum *Maximiliano* 1. communi statuũ consensu circa *annum* 1495. vid **K. A. zu Wormbs** *de anno* 1495. sub *tit.* **Ordnung der Römischen Königlichen Majestät Cammer Gerichts.**

Dicasterium Rohtwillense. 7. Diversum rursum ab hoc est *Judicium Rothwillense*, quod est collegium judicum, qui loco Cæsaris in districtu Rothwillano jurisdictionem exercent.

8. Hoc à *Conrado* 4. *Duce Suevia* qost Lotharium Saxonem, Rege Romano creato *anno* 1147. institutum est. *Reform. jud. Rothw. Maxim. 2. part. 2. tit. 5.*

9. *Differt* autem à Camera Imperiali in eo, quod non sit totius Imperii, sed Cæsaris solummodo judicium, respiciens *Alsatiam Brisjoiam* usq; ad Rheni tractum,

ctum, & non universum Imperium. 2. à Rothwillensi judicio appellatur ad Cameram **R. A.** *de anno* 1570. §. **vnd nachdem vns vorkommen.**

10. Hæc sunt judicia universalia. Reliqua electorum principum, & statuum Imperii judicia *particularia*, sunt **Cantzley/ Hoff/ Land vnd StadtGerichte** quæ quilibet in suo electoratu principatu civitate & territorio exercet. *Particularia electorum Principum particularia, Cancellaria &c. judicia.*

CAP. IX.
DE *JUDICIIS*, CORAM quibus *Imperator Rex Romanorum Vicarii Imperii, Reges electores* aliique *principes* &c. comparere tenentur.

1. Quoad *personam judicandam*, judicia Imperii, ex earundem dignitate sunt æstimanda & distinguenda. Sunt autem personæ vel 1. in supremo dignitatis gradu, vel 2. in medio, vel 3. in infimo.

2. *Summam dignitatem* habent 1. Imperator. 2. Rex Romanorum. 3. Vicarii Imperii. 4. alii Reges & Magistratus superiorem non recognoscentes, ideoque de horum judiciis dicendum.

Judicium Imperatoris.

3. *Imperator Romano-Germanicus* quamvis summus monarcha exemplo tamen aliorum monarcharum, Regum & Principum Christianorum, nonnunquam alterius judicio sese submittit.

Quis judex.

4. Est autem *Imperatoris judex* competens, ex longâ consuetudine, & constitutione Aureæ Bullæ *elector comes Palatinus Rheni* text *A.B.c.5.§.ult.*

In quibus causis.

5. Quibus autem *in causis* hoc fieri possit, & an de causis feudalibus, in causa depositionis, appellationis, criminali &c. non ita breviter determinari potest.

Quo in loco & quomodo.

6. Hoc tamen judicium Palatinus ipse non alibi præterquam in Imperiali curia, ubi Imperator præsens exti terit, exercere poterit. ubi expresse declarat. *de text. A.B.*

7. Idem

7. Idem quoq; de *Rege Romanorum* in Imperatorem non evecto statuendum, prædictus textus edocet. Verum an etiam de RegeRomanorum vivoImperatore electo? Sunt equidem qui arbitrantur, quibus tamen num astipuler, hæsito. *Regis Romanorum.*

8. *Vicarii Imperii*, sin ubi conveniendi, omnino considerandum, an ubi vicarii, vel tanquam electores & principes. *Vicariorũ Imperii.*

9. Si *tanquam vicarii*, tunc enim cumImperatorem repræsentent, vel coram Imperii ordinibus, vel coram novo Imperatore conveniendi essent.

10. Ubi verò *tanquam electores* & principes conveniendi, tunc aut causa pertinet *ad Austregas* zu den Außtragen / & poterunt, non obstante vicariâ dignitate coram iis conveniri. secundum *ordin. Camer. part.* 2. *tit.* 3. 4. & 5.

11. Vel *ad Cameram*, (veluti in pignorationum, captivorum relaxandorum, aliarumve constitutionum immediatè juris dictionem fundan-

fundantium, de quibus *parte 2. ordin. à tit. 8. usq; ad* 26.) quo casu, cum Camera nomine vicariorum quoq; pronunciet, sibi ipsi imperant, ut & Imperator, quando ut ArchiDux non ut Imperator convenitur.

Aliorum Regum. 12. Eodem modo alii quoq; *Reges Europæi* peculiares suos habent judices coram quibus pro ratione causarum conveniri possunt.

Elector. Principum &c. 13. Ad *medium dignitatis gradum* referuntur *electores*, *principes*, *magistratus*, & reliqui Imperii *immediati* subditi, qui vel *coram Austragis*, vel *coram Camera*, ut alibi deducitur, competens forum sortiuntur, vel etiam nonnunquam ex consuetudine, coram *propriis consiliariis* conveniri possunt.

14. In *infimo gradu* sunt reliqui mediati Imperii subditi, de quorum variis judiciis, partim supra, & plenius in processu judiciario tractatur.

CAP.

CAP X.

DE RELIQVIS JUDICIIS

Imperii ordinariis *civilibus, feudalibus, Criminalibus, appellationis,* &c.

1. *Respectu rerum & causæ* judicia alia sunt *respectu causæ* in se consideratæ, aliæ *respectu causæ* in judicio versantis.

2. *Causa in se considerata* alia *civilis* est, alia *criminalis*.

3. *Causa civilis* vel est *feudalis*, vel *civilis in specie*; Unde judicium aliud *feudale* est, aliud *civile*.

4. *Judicium feudale*, de feudis Imperii & feudis Regalibus cognitionem habet, quam cognitionem solus Imperator sibi reservavit, uti supra dictum; Reliqua vero feuda, etiam principibus & statibus competentia, aliorum quoque subjacent judicio.

5. *Judicium civile in specie*, de causis civilibus reliquis & allodialibus suscipiendum, in personis immediatis, ut plurimum vel ad

ad Cameram, vel ad Auſtregas recidit.

6. In *judicio criminali* diſtinguendum, aut enim *crimen*, quod ab electore, principe, aliove ſtatu vel immediato Imperii ſubdito committitur *turbat & violat pacem publicam*, & in *Camera* eam ob cauſam agi poſſe tradit. *ord. Camer. parte 2. tit. 9.* Quamvis aliqui hujus deciſionem Imperatori tribuant. Propterea quod Imperatoriæ quoq; majeſtatis ſit, de capite principis judicare.

7. Vel *non turbat pacem publicam*, ſed delictum privatum hoc reſpectu nominari poterit, ut puta adulterium homicidium &c. ob quod ſi à privatis vel aliis conveniantur, non Imperatorem, quippe quod ſolùm cauſas feudales ſibi reſervavit (ut ſupra) ſed Cameram judicare ex *ordinat. part. 2. tit. 5.* nonnulli deducunt. Alii ad Auſtregas hanc litem pertinere arbitrantur.

8. *Reſpectu cauſæ* in judicio verſantis aliud eſt judicium *pri-*

ma

mæ instantiæ, aliud *secundæ instantiæ* sive appellationis & provocationis, Primæ instantiæ judicia varia existunt; Extrema autem provocatio & *appellatio*, quamvis propriè pertineat ad Imperatoriam majestatem, hodie tamen tum ea Cameræ Imperiali est communicata, cum etiam electoribus, ut ab illorum sententia provocare non liceat remissa *A. B. tit. 11.* Quo privilegio præsertim Saxo & Brandeburgensis electores utuntur.

Hæc de judiciis Imperii ordinariis.

CAP XI.
DE JUDICIIS EXTRAordinariis, arbitriis, pignorationibus, arestis, Repressaliis &c.

1. *Extraordinaria* judicia Imperii vel mera sunt *arbitria*. vel planè *executiva*.

2. At-

Arbitria. 2. *Arbitria* nuncupo, ubi arbitri in causis Regum & summorum principum constituuntur; solent enim aliquando Reges & summi principes (uti historiæ & experientiæ testantur) ita causis gravissimis arbitrorum judicio sese submittere.

3. Judicia planè *executiva*; quædam inter privatos, quædam inter publicos agitari solent.

4. Quæ *inter privatos*, de iis in processu juris plenius. *Inter publices* autem Imperii status, principes nobiles &c. quotidie incidunt 1. Pignoratio. 2. Arestum 3. Repræssaliæ.

Pignoratio 5. *Pignoratio* **die Pfendung** dicitur, quando status vel nobilis Imperii, per se vel per alium, alterius status vel nobilis subditos, aut eorum bona mobilia ob contentiosam jurisdictionem, vel possessionem alicujus juris, quod eo loci, ubi fit pignoratio, prætenditur, capit & pignori accipit. Hujus jura & constitutiones *part. 2. ordin. Camer. tit. 22.* promulgatæ & partim in *Recessibus* Imperii repetitæ sunt. 6. Ar-

6. *Arresti* vocabulum Barbarum, per Germaniam tamen receptum est. *Arrestum.*

7. Sunt autem arresta vel *voluntaria*, sive conventionalia, vel *necessaria* sive judicialia.

8. *Voluntaria* sunt, quæ constituuntur voluntate & consensu privatorum *l. 5. §. 1. l. 6 l. 17 ff depositi*, de quibus nihil hoc loco.

9. *Necessaria* seu *judicialia*, quæ judicis decreto & licentiâ decernuntur, quæ cum facti sint, ideoque & prohibita censentur, & fieri solent cum quis immediatus, alterius immediati res subditosve, eorumve bona arrestavit, nec arrestum oblatâ cautione judicio sisti & judicatum solvi relaxarit.

10. Quod cum iniquum sit, recte constitutio *de arrestis Imperii anno 1570.* lata est, quâ huic injuriæ remedium quæsitum.

11. Arresta autem & pignorationes quamvis in multis convenire videantur plurimis tamen *differunt* modis, uti docet *Gailius de arrest.*

12. *Repressaliæ* sunt potestas impi- *Repressaliæ*

impignorandi, contra quemlibet de terra debitoris, ab eo plerunq; qui superiorem non recognoscit, de usu tamen & consuetudine Germaniæ, ab inferioribus principibus, cretiori, vel illi qui sibi aliquâ competere fattagit, pro injuriis & damnis, ob denegatam justitiam, aliamve justam causam concessæ.

13. Regulariter autem hujusmodi repressaliæ prohibitæ sunt, sed ob nonnullas causas haud rarò impetrantur & conceduntur. *c. & si pignorationes de injur. & dam. dat. lib. 6.*

Tantum de variis & summis Imperii judiciis, in quibus justitia administratur.

CAP. XII.

ET ULTIMUM, DE IIS, in quibus Legum executio consistit, ut & de censura & censoribus.

1. Justi-

1. Justitiæ administratio sive *Legum executio consistit* 1. in æquali præmiorum promissione. 2. Pœnarum impositione, ut scilicet Legum transgressores puniantur, è contra boni præmiis & honoribus ornentur. *c. ad reprimendam extrav. de offic. ordin. c. solitæ extrav. de major. & obedient.*

2. *Præmia* variis possunt distribui modis quorum nonnulli antea explicari, quales sunt *nobilitatis, Doctoralis,* & *Magisterii* dignitas. *Hodie* tamen ut plurimum penes Imperatores & Reges in usu est, *Equestris dignitatis concessio,* **Wann einer wird zum Ritter geschlagen** & *Comitum Palatinorum* creatio.

3. *Pœnæ,* quemadmodum imponendæ, *exasperandæ* vel *mitigandæ.* Non amplius hac vice prosequor. *Sufficiat tantum de Legum executione & justitiæ administratione dixisse.*

4. *Censuræ observantia* subsequitur, quæ definitur animadversio

in

in ea, quæ plerunque publicis nec definiuntur nec vindicantur.

5. Cum enim, minora vitia, quæ tamen non minimum Imperio & Reipublicæ nocent, legibus publicis comprehendi, non possint; nec facilè etiam manifestentur, rectè ad eorundem inquisitionem *censores* instituuntur.

6. Consistit autem eorundem censura & animadversio præcipuè 1. in ebrietate coercenda. 2. litibus & discordiis minuendis & componendis. 3 otiosis & mendicis validis expellendis. 4. Luxu in pecunia expendendo, ædificiis exstruendis, conviviis sumptuosis instituendis, vestitu &c. amovendo & temperando.

Finis libri septimi.

EPITO-

EPITOMES
Jurisprudentiæ Publicæ universæ

LIBER VIII. ET ULTIMUS.

PERTRACTANS 1. NEgotia, *quæ Imperator & Principes inter sese etiam cum peregrinis suscipere solent.* 2. officium Imperatoris & *Principum erga subditos & è contra.* 3. contraria, *officiorum id est, abusum, negligentiam, dilecta, officii & dignitatis privationem.* 4. Administrationem militarem, *& tandem.* 5. causas *Imperia principatus &c.* diminuentes *earum* remedia,

Continuatio. Libro præcedenti actum de negotiis, quæ cum subditis pertractantur, modo ea, quæ cum

peregrinis, vel Imperator & principes inter ſeſe peragunt inſpicienda.

CAP. I.

DE FÆDERIBUS IN genere.

1. NEgotia Publica quæ Imperator & Principes, cum inter ſeſe, tum etiam cum peregrinis expedire ſolent; præcipua ſunt ea quæ 1. in fœderibus. 2. Aſſiſtentia. vel 3. contraria neutralitate conſiſtunt.

Fœdus quid 2. *Fœdus* à fide derivatum, definitur pactum publicum, inter Reges, Principes aut civitates liberas, de mutuis auxiliis aut alia quapiam re ſibi præſtanda, ſolenniter conventum. arg. *l. 5. ff. de pact.*

Quotupl. 3. Fœdera variè *diſpeſcuntur* 1. enim alia ſunt *licita* alia *illicita*, de licitis ſaltem in poſterum agendo eadem 2. in fœdera *propriè* ſic dicta & *quaſi* fœdera diſtinguo.

4. *Propriè dictum fœdus* eſt, quo diverſi principes, ſeſe mutuo ſolenniter

lenniter obligēt ad amicitiam colendam, fidempræstandam, auxilia mutua habenda, & hostes communes habendos.

5. Fœdera pangunt propriè *illi*, qui jura majestatis habent, ac proinde superiorem non recognoscunt. *l. 3. ff. ad leg. jul. majest.* Ut sunt Imperator Reges &c. *Efficiens. Qui nam fœdera pangant & cum quibus.*

6. Attamen quoq; *electores, principes*, aliiq; Germaniæ status, pro generali pace & quiete fœdera pangere possunt, quæ & approbantur, *A. B. tit. 15. constit. pac. publi. anno 1548. §. 1. &c.*

7. Immo etiam *civitates* maximè Imperiales fœdera inire possunt, arg. sit *anno 1553.* fœdus inter *Episcopos Harbipolensem & Bambergensem*, ac civitatem *Noribergensem* initum prolicito judicatum in Camera; Unde etiam *Fœdus Hanseaticum* licitum censetur.

8. Licet autem contra quemvis offendentem fœdus inire, in omni tamen fœdere Imperatoris

vel alterius cujuspiam superioris persona excipitur.

9. Diligenter autem primò consultandum, *cum quibus* fœdera pangenda, Sunt verò illi principes vel *Christiani*, vel *ethnici* & Impii.

10. In principibus *Christianis* ponderamus vel *fortunæ*, vel *animi dotes*.

11. *Dotes fortunæ* consistunt in *potentia*, & *ante actis*. *Cum potentibus* fœdera sunt pangenda, idq; tamen ita, si vitam anteactam primò excusserimus, & ne in leoninam societatem abeat confœderatio, ad quam alludit. Jctus in *l.39,§ fin. ff. pro socio*.

12. *Animi dotes*, præcipuè in animorum conjunctione & morum similitudine consistunt.

13. Cum *Ethnicis & impiis* contrahere fœdera, non oportet principem vel Rempublicam nimis esse facilem per *c. 22. exodi in fin. & 2. Paralipom. 16. 17. 18. &c.* Nonnunquam tamen fœdera cum ejusmodi impiis contracta, saniores Theologi concedunt.

14. *Ma-*

14. *Materia* sive objectum circa quod fœdera versantur, consistit *in rebus licitis & honestis*, & in specie fœdera panguntur, tum 1. ob præsidia contra hostes communes. 2. ob comercia. cum 3. ob comercia & defensionem simul. *Materia sive quas ob res.*

15. Fœderum sanciendorum *formulæ* variæ sunt, atq; olim variis solennitatibus & ritibus persici solebant. *Forma & quomodo pangenda.*

16. *Apertè* autem & *candidè* in hoc contractu agi solet, ut perspicuè intelligatur, cum quo, quas ob causas & in quem finem. Quibusq; sub *conditionibus*, *æqualibus* vel *inæqualibus* contrahant.

17. Solent deinde fœdera pangi, vel *perpetua* vel *temporanea*. Sin *perpetua* renovatione nonnunquam indigent.

18. *Temporanea*, quemadmodum omnia fœdera ferè esse debent, ita sunt constituta, ut ad certum tempus perdurent, eoq; elapso penitus cessent.

19. Nonnunquam etiam fœdera *connubiis & affinitate* pangun-

tur, id quod exempla quotidiana comprobant.

Finis. 20. *Finis* fœderum eò referendus, ut maximè pangantur ad Ecclesiæ vel religionis purioris conservationem & propagationem, vel ad pacis publicæ vel communis, vel etiam utriusq; assertionem.

Effectus. 21. *Effectus* fœderum 1. in fide ceu omnium fœderum fundamento & basi consistit 2. mutua confœderatorum observantia & obligatione, quâ secundum verba promissionis *fidem datam* servare, & *auxilium promissum* præstare tenentur.

Contraria dissolutio. 22. Quamvis fœdera semel inita, non temerè sint disrumpenda, *modi* tamen, quibus eadem rectè *dissolvuntur* non desunt, inter quos 1. Tempore elapso vel conditione extante 2. Ubi pars altera fœdus atrociter violaret 3. Mutuo confœderatorum dissensu. Nec tamen 4. ut contractus vi metuve initus, ex edicto prætoris, ita etiam fœdera, quæ cum hoste victore quispiam pro tempo-

poris

poris fortunæq; injuria iniit re-
scindere oportet, quis enim fo-
ret bellorum finis, si à transa-
ctionibus bonâ fide interpositis
liceat discedere. per *l.* 10, *c. de transact.*

Hæc de federibus in genere.

CAP. II.
DE VARIIS *FŒDERUM* *speciebus.*

1. Horum *fœderum* variæ sunt *species*, & sanè quædam sunt *exterorum populorum*, quædam *principum & subditorum Imperii* tum inter sese, cum etiam cum aliis.

2. *Fœdera exterorum populorum* varia conspiciuntur, inter plurima autem hodie vulgatissima sunt *Helvetiorum* confœderationes, & unitarum provinciarum *Belgicarum* fœdus, contra Hispanum ictum. *Helvetiorum. Belgarum.*

3. *Fœdera Principum & subditorum Imperii* tum inter sese, ut & cum aliis sunt vel *antiqua* vel *novissima.*

4. *Antiqua* vel *esse desierunt*; vel adhuc *sarta tecta* reservantur.

5. *Fœdera antiqua & quæ jam esse desierunt* immunerabilia equidem sunt, famosissima tamen sunt. 1. Fœdus Suevicum, de quo *Sleidan. histor. lib. 4. in fin.* quod etiam appellatum, die Gesellschafft S. Georgen Schildes / ut arbitratur *Crusius*. 2. Landesbergense cujus Imperator sive Dux olim erat *Albertus Bavariæ* Princeps anno 1536. factum. 3. Schmalcaldicum, quod inter plerosque protestantes Imperii Schmalkaldiæ superioribus annis ictum. 4. Chamborticum, *Chamborti* cum Rege Francorum *Henrico* 2. à Mauritio Duce Saxoniæ, Alberto Marchione Brandeburg. & Philippo Hassorum, Landgravio cæterisq; cõfœderatis principibus anno 1552. contractũ.

Suevicum.

Landesbergense.

Schmalcaldicum.

Chambortricum.

6. Ad *antiqua fœdera* quæ adhuc perdurant (prætereo hoc loco fraternitates & varia pacta hæreditaria, de quibus supra) recte refertur. 1. Fœdus Anseaticum propter

Anseaticum.

propter necessariam defensionem, & mutuum comerciorum usum cum exteris & vicinis initum quod cæpit. circiter *annum Christi* 1200 teste *Chytræo*. 2. Huc quoque pertinent, confœderationes Ganertinarum, unde tam amplissima Ganertinatus materia pertractanda. *Ganertinarum.*

7. *Fœdera hodierna & nobissima* duarum sunt classium, vel enim sunt *protestantium* principum & statuum, vel *Catholicorum* & Pontificiorum.

Unio.

8. *Fœdus Protestantium Unio* ab iisdem nuncupatur, ad quam proximus gradus est *correspondentia*.

9. *Fœdus Pontificiorum* a b iisdem vocatur Sancta *Liga*. *Liga.*

Hæ sunt præcipuæ fœderum species.

CAP. III.

DE QUASI FÆDERIBUS jure tutelari sive protectionis &c Item assistentia & neutralitate.

1. *Quasi* seu *impropria fœdera* sunt duplicia 1. aliud clientelare, sive protectionis **Schutz vnnd Schirms Gerechtigkeit**. 2. Fœdus miserabile sive inter principem & tributarios, nuncupatur.

Fœdus clientelare. quid.

2. *Fœdus clientelare*, quod & jus protectionis, clientela, **Schutz vnd Schirms Gerechtigkeit** vocatur, describitur jus, quo alter alterius defensioni, & is vicissim mutuâ obsequii tenetur relatione.

3. In specie autem clientela nobis hodie est, gratuita & confœderata sociatio ex justa & probabili causâ inita, quâ liber populus alterius majestatem comiter observare tenetur, ut ab injuriâ potentiorum tutior esse possit.

Quotupl.

4. Jus clientelare respectu personarum contrahentium, est vel *Ecclesiasticorum* vel *secularium*.

5. *Ecclesiasticorum*, ubi Ecclesia, Episcopatus Abbatia alterius principis protectioni sese submittit. Propriè advocatio dicitur

citur de qua supra. De secularium clientela propriè hoc loco.

6. In fœdere hoc pangendo concurrunt duplices personæ, princeps, patronus sive defensor, der Schutz vnd Schirmherr/ & cliens der Schirms verwandter. *Efficiens.*

7. *De illo* non est dubium, quin quilibet princeps, modo potentia prævaleat, alios in protectionem assumere possit. *De* hisce sine distinctione discedere haud licebit.

8. *Liberi* itaq; *populi*, & qui propriam rerum suarum administrationem habent suiq; juris existunt, probabili ex causa in potentioris alicujus protectionem se se dare poterunt. arg. *l. 7. §. 1. ff. de capt. & postlim. revers.*

9. An autem *alterius subditi*, vel subjectæ civitates alterius principis tutelæ & protectioni se se submittere possint, valde adhuc dubitatur? Quod tamen probabili ex ratione fieri posse, arbitror. *Causa ob quam.*

10. Cum verò alterius prote-

ctioniſeſe ſubmittere periculoſum ſit, ideoq; non niſi *urgente neceſſitate*, vel cauſa ſufficiente ad hoc remedium confugiendum.

11. Cauſa plerunq; gignit neceſſitas, quando ſcilicet ſe ipſum ut quis defendat potis non eſt, vel Dominus ordinarius defenſor, ob negligentiam, abſentiam, vel impotentiam defenſionem differat. tacit. text. *l. 23. ff. quod met. cauſ.*

Forma. 12. *Forma & quomodo* fœdus clientelare pangendum, conſiſtit 1. in eo ut ſit gratuitum, nullo interveniēte pretio. Quamvis hodie honorarium pro tuitionis ſtudio & labore honeſtè dari & accipi poſſit. arg. *l. 6. in princ. ff. mandati.* 2. Cautè hic ambulandum, ideoq; clientes à ſuo patrono, cujus fidei ſe ſubmittunt, cautionem exigant, & certas conditiones in tabulis patrocinii in den Schutz vñ Schirms brieven/ exprimant, ne protectio hæc ſubjectionem inducat. 3. Arcas & oppida militaria clientes ſibi reſervent. 4. Breviori

temporis

temporis intervallo patrocinia temperent &c.

13. *Finis* hujusmodi fœderis, *à parte patroni* defensio & protectio, *à parte clientis* obsequium & observantia est. *Finis.*

Effectus.

14. *Effectus* in eo est, quod saltem obsequium, non esse subjectionem inducat, quippe jus protectionis nullam superioritatem, vel jurisdictionem parit, **Schutz vnd Schirm gibt keine Obrigkeit.** text in *c. recepimus. in fin. x. de privileg. &c.* Quamvis proximus ad subjectionem & jurisdictionem dicatur gradus.

Fœdus miserabile.

15. Altera quasi fœderum species, *miserabile & flebile fœdus* dicitur, quo victi in victorum tutelam concedunt, illisq; Leges dicuntur; qui & *dedititii* nuncupantur, vel etiam *tributarii*, pessimaq; & flebilis eorum est conditio. Eâ ratione *Turcarum* tyrannum multa loca sibi subjicere quotannis ferè experimur.

Assistentia.

16. Demum extra fœdera, non rarò etiam inter principes de *assistentia*, **Wie wett der eine dem**

andern beyzustehen schuldig/ consul. ationes incidunt.

Neutralitas. 17. Hisce omnibus contraria *neutralitas* quam nonnunquam periculosam, aliquando salubrem esse, circumstantiæ & eventus docere solent.

Tantum etiam de negotiis

CAP. IV.

DE MUTUIS IMPERATORIS, electorum Principum & magistratuum officiis erga subditos, & è contra subditorum erga eosdem.

1. *Tertium* administrationis & regiminis civilis, seu politici caput disponendum etiamnum restat, quod est ut ut dixi, *de mutuis officiis & virtutibus.*

2. *Officium* & virtutes, in Imperatore, & principibus considerandæ, eosdem vel *ut homines*, *vel* ut in *ejusmodi dignitate constitutos* respiciunt.

3. *Ut*

3. *Ut homines* de virtutibus ejusmodi intellectualibus & moralibus ethicus accuratius disserit.

4. Reliquæ autem *virtutes*, quæ in Imperatore electoribus principibus & magistratibus sunt considerandæ, & commendandæ, eæ potissimum sunt 1. pietas, & sinceræ religionis amor. 2. Clementia, 3. liberalitas & beneficentia. 4. Fides & promissorum observantia. 5. Fortitudo & animi constantia. 6. Temperantia. 7. Modestia, & denique; omne studium in id princeps diriget, ut favorem, amorem & benevolentiam subditorum sibi conciliet. Quibus autem remediis hoc efficere poterit, prædictarum virtutum observantia plenius edocet.

5. *Subditorum officia* & *virtutes* referuntur, vel 1. erga *Deum*. 2. erga Magistratum, vel 3. erga seipsos.

6. *Subditorum virtus erga Deum* est pietas.

7. Eorundem *virtutes erga magistra-*

gistratum debitæ sunt 1. amor quasi filialis & fidelitas constans. 2. observantia & studium, debito cum honore & cultu prosequendi, ipsa enim naturalis & divina ratio magistratui, obsequium exhibendum dictitat. *Rom.* 13. 1. *Pet.* 2. &c. Patris enim loco sunt. *l. in defensoribus 4. C. de defensor. civit. & similib.* 3. Obedientia & executio mandatorum magistratus, subditi quippe in genere magistratui obedire tenentur, ita ut potior sit obedientia magistratus, quam patris. arg. *l. 1. ff. de vent. inspic. l. 19. §. 1. ff. de captiv.*

8. *Virtutes subditorum inter se*, vel erga se ipsos variæ sunt, quas partim pertractat ethicus, atq; etiam partim in ipsa conversat. & humanor. officiorum communicatione consistunt, ex fuerunt virtutes & officia principum. Modo *contraria* iisdem indagabimus, quemadmodum scilicet Imperatores, Principes & magistratus, tum 1. officio hoc male fungantur, cum 2. priventur, cum, etiam 3. Quomodo subditi hisce

contra

contra veniant, & quæ dentur remedia.

CAP. V.

DE CONTRARIIS PRÆdictorum, 1. officii mala functione 2. ejusd. Privatione. & 3. subditorum delictis.

1. Officio suo aliquando non satis funguntur, vel 1. Imperator & principes, vel 2. subditi.

2. *Imperator & principes officio* & administrationi non satisfaciunt, vel *malitia* quadam, vel ex *impotentia & ignorantia*.

3. Sin ex *malitia*, tum præstò sunt remedio, de quibus paulò post dicemus.

4. Sin verò ex *impotentia*, tũc alia quærenda remedia, ut i.e. Imperatori Rex Romanorum, principibus curatores & coadjutores adjungantur, de quibus supra.

5. *Privatur* deniq; & *amittit* Imperator Imperatoriam dignitatem, vel 1. morte naturali, vel 2. alia quapiam mutatione DEO sic permittente.

6. *Morte*

6. *Morte naturali*, ut si quando Imperator vita decesserit.

7. Alter casus Deo sic permittente Imperatori contingit, vel *invito*, vel *volenti*.

8. *Invito* Imperatori, fit vel *vi belli*, & *injuria*, vel *jure*.

9. *Vi belli* & *injuria*, ut si contra omnem æquitatem & honestatem Imperatoria majestas jure suo & dignitate privetur.

10. *Jure* verò sin ubi justa ex causa, Imperator deponitur, vel à solio Imperiali dejicitur.

11. *Depositio* hæc Imperatoris, non fit à Pontifice, ut male *Dd. ad c. Apost. quæ desent. & re judicat. in 6.* Papæ eandem potestatem tribuunt: Sed ab *Imperii electoribus*, ejus enim est destitutio, ad quem pertinet institutio. *Nov. 15. cap. 1. in fin* Idque tamen justa ex causa, modo & processu legitimo.

12. *Volens & sciens* Imperator Imperium amittit, *Spontanea abdicatione, resignatione, & cessione*, quod

quod Imperatorem facere posse, præter exempla argumento sunt, *c. 1. de renunt. in 6. & l. 1. pen. ff. de offic. præsid.*

12. Ab Imperatore ad electores & principes & Imperii regredior; Hi officio suo male funguntur, vel peccando *contra Imperatoriam majestatem*, vel eorundem *subditos*. Utrovis modo pœna digna eosdem manet.

13. *Amittunt* autem vel *privantur* dignitate, tum 1. itidem volentes cum 2. inviti.

14. *Volentes*, veluti, Ecclesiastici potissimum electores & principes juri suo renunciantes idq; ex certa causa, cujus forma traditur, in *c. bonæ memoriæ. 2. §. fin. ext. de postul. &c.*

15. *Inviti*, ubi ob delictum, legitimamve causam, tam Ecclesiastici electores & principes, quam seculares degradantur feudis & Regalibus ab Imperatore exuuntur.

16. Hæc de contrariis hujusmodi & odiosis dixisse sufficiant, e contra

contra quoq; *subditorum delicta* varia & quidem graviſſima nonnunquam occurrunt, inter quæ *Rebellio*, *Seditio*, (prætereo jam alia quæ in jure privato, in delictorum materia accuratiꝰ pertractantur.

Hæc de adminiſtratione & regimine Politico & togato dicenda fuerunt.

CAP VI.

DE ADMINISTRATIONE militari, militia & bello, *ejusq; præparatoriis.*

1. Reſtat ultimò pertractanda *adminiſtratio militaris*, ſeu regimen, quod circa bellum & militiam verſatur.

2. *Bellum* nonnunquam neceſſariò ſuſcipi, idq; ſi legitimum tam divina quam humana ratione probari, magna me movent argumenta & rationes.

Bellum quid.

3. Eſt ergo *bellum* diſſidium armatum, duorum contrariorum

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn817498826/phys_0264
DFG

cum exercituum ritè prius indictum.

4. *Dispescitur bellum* variè, tum 1. in bellum *externum & internum* sive civile cum 2. in *licitum & illicitum*. 3. *publicum & privatum*. 4. *Defensivum & offensivum*, & deniq; non inconcinnè. 5. in *bellum in specie* sic dictum & *duellum*. Hæc enim inter se distinguuntur, Illud est exercituum. *l. 2. in princ. vers. & si ergo* Dux, cum exercitui præest, & *§. 1. de his qui not. infam.* Hoc vero duellum scilicet non est exercituum, sed duorum vel plurium hominum, qui exercitum non constituunt. *Quotupl.*

5. *Administratio belli* versatur vel *circa bellum futurum*, vel *circa bellum præsens*. *Ejusdem administratio.*

6. *Administratio circa bellum futurum* in provisione quorundam præparatoriorum, quorum utilitas in bello, maximè profutura, consistit.

7. *Præparatoria* illa in quatuor potissimum consistunt, quorum *primum* est subditorum exercitario, *Lustratio.*

tio, delectus, sive lustratio die Musterung/ quæ admodum necessaria est, & jus Imperii principibus competens. *R. A. de Anno 1564. §. ferner dieweil ibi.* vnd soll nachmals ein jeder Stand dieselben jährlich selbst Mustern.

jus sequelæ. Quo etiam referendum jus sequelæ, die Folg vnd Reiß/ cujus vigore subditi principem & magistratum suum superiorem, bella moventem, sequi tenetur.

Arcium erectio. 8. *Alterum* præparatorium est, in arcium, Castellorum sive fortalitiorum erectione, quorum ope ab incursione hostium illæsa servatur Respublica, & maximè limitaneorum, die Gränzhäuser so auff den Frontierungen liegen.

9. Ejusmodi autem fortalitia quilibet princeps vel status in suo territorio utiliter & bonâ fide erigere potest. arg. *l. 8. §. 5. vers. in suo enim ff. si servitus vind. cum similibus.*

10. Ter-

10. *Tertium* consistit in armorum, ut & tormentorum bellicorum fabricatione & tractatione, quod jus fabricandi & parandi tormenta bellica Geschütz, Artilerey vnd munition etiam principibus & statibus Imperii communicatum *R. A. de anno* 1555. §. vnd demnach ein Kriegsvolck zu Roß *Armorum habitatio.*

11. *Quartum* est in armandi Rüst vnd orum & armamentariorum Zeug Zeughäuser conservatione & præparatione, Quorum itidem constitutio ad Regalia pertinet *2. feud. 2.* quare etiam privatorum nemini concedenda *nov. 85. de arm. l. 1. 2. ff. ad L. jul. de vi pub-lic.* häuser, häuser,

CAP. VII.

DE *ADMINISTRATIONE circa bellum præsens*, vel *avertendum* vel *suscipiendum*, & in specie de iis qui bellum gerere possunt.

1. In

1. In administratione *circa bellum præsens* potissimum versantur *consilia* tum 1. de bello avertendo, cum 2. de bello rectè suscipiendo & continuando.

2. Ubi sæva martis facies sese repræsentat, prius consilia, quibus eandem à nobis avertamus capessenda; Omnia quippe consilio prius, quam armis experiri sapientem decet.

3. Hæc consilia non solum petenda, ab iis, qui lucrum è bello expectant, sed potius communicanda, cum reliquis consiliariis & viris prudentibus, illi martem amant propter lucrum, nil aliud enim quam militare didicerunt, hi patriam propter utilitatem publicam.

4. Ubi autem hæc consilia non inveniunt locum, sanè præstat bellum gerere, quam turpiter pacem inire. Ideoque de bello suscipienddo & optimè continuando cogitandum, in quo inspiciendum 1. Belli initium, 2. medium, & progressus, 3. exitus.

5. *In*

5. *In initio* belli considerantur 1. Personæ. 2. Legitimæ causæ. 3. Forma gerendi. 4. Quænam præterea in bello gerendo necessaria.

6. *Personæ* sunt bellum gerentes principales, cum autem infallibilis Politicorum & Jctorum sit canon, signum summæ potestatis & majestatis esse belli indicendi jus *l. 3. vers eadem lege ff. ad L. Jul. majest. l. unic. c. ut armor. usus.* Solus ergo Imperator Romano-Germanicus, aliiq; Reges & magistratus supetiotem non recognoscentes belli indicendi jus habent arg. *l. hostes. 24. ibi publice populus Romanus. ff. de captiv. & postlim. revers.*

7. Imperator tamen belli indicendi jure hodiè cum exteris præsertim, nisi cum *electorum consensu* & consilio, uti non debet ut testatur *capitulatio Imperat. Caroli 4. apud Sleidan &c.*

8. Omnia igitur bella, quæ *ab inferioribus principibus & statibus* sine licentia Imperatoris vel superioris geruntur regulariter,

sunt *illegitima & illicita.* per *l.* 3. *ibi.* injussu principis bellum gesserit. *ff. ad l. Jul. majest. Ordinat. Camer. part.* 2 *tit.* 15. ibi. auß der Käyserl. Majestät oder unserm zugeben. Sunt tamen nonnulli casus, quibus & hisce belligerare licet.

CAP. VIII.

DE CAUSIS & FORMA, *belli suscipiendi, ut &* aliis ad bellum necessariis.

1. In omni bello legitimo, prima *causa,* ob quam susceptum indaganda. Bellum namq; legitimum causa facit *c. justum. 23. quæst.* 3. & ea deficiente nullum bellum legitimum pronunciari &c.

Causa belli gerendi.

2. *Causa* belli gerendi vel *generalis* est, vel *specialis.*

Generalis.

3. *Generalis* belli gerendi causa refertur ad Dei gloriam R. A. zu Regenspug *de anno* 1532. §. vnnd damit solcher *ibi.* zuförderst GOtt dem Allmächtigen zu Ehren &c.

Speciales.

4. *Speciales* belli gerendi cau-

sæ,

sæ, sunt vel *defensivæ* vel *offensivæ*.

5. *Defensivæ* ex justa defensione dependent, *defensio* autem concernit, tum 1. Religionem, 2. Regionem, 3. Personam. *Defensivæ.*

6. *Religionem* armis defendi posse contra oppressores, tam exteros quam domesticos sacræ docent paginæ *Nehem. 4. v. 13. Machab. 1. v. 43.*

7. *Regionem* etiam, & quicquid juste quispiam possidet, armis tueri poterit.

8. Deniq; defensio *Personam* concernens, non solum, propriam defendentis personam inspicit, sed demum etiam ad eos spectat, qui vel vicinitatis, vel societatis, vel alio quovis communitatis vinculo nobis obstricti sunt; Interest enim in necessitatibus, hominis, beneficio hominem affici *l. servus. ff. de serv. expost.*

9. *Causæ offensivæ*, ex justa & legibus permissa offensione dependentes, referuntur esse, 1. Rerum per vim ereptarum recuperatio. arg. X. A. 3u *Offensivæ.*

Wormbs *de anno* 1521. *s.* vnd als wir: *ibi.* auch das jenige. 2. Contumatium, seditiosorum & Rebellium coërcitio. vid. R. A. *de anno* 1522. *sub tit.* Von Mandaten des Cammer-Gerichts/ &c. 3. Illatæ injuriæ vindicatio. *Numer.* 31. *in princ.* & similes.

Forma. 10. Denique ut bellum sit justum, ad *formam* belli suscipiendi pertinet *denuntiatio* seu belli indictio, quæ omni jure necessaria est. vid. *Deut. c.* 20. item textus in *l. hostes* 118. *ff. de* 9. & *l. hostes* 24. *ff. de captiv. & postlim.*

11. Hæc olim fiebat per *Fetiales*, idq; singulari solennitate, hodiè autem per *Heroldos*, idque eum in finem, ut hostis, possit se munire contra adversarium, quâ sanè omissâ, proditor est, qui bellum gerit.

Reliqua necessaria. 12. Reliqua ad bellum *necessaria* sunt 1. *milites*, qui & quales conscribendi, quæq; eorundem jura, & disciplina militaris, non amplius prosequor. 2. *Pecunia*, quæ nervus belli dicitur;

Milites.

Pecunia.

Nonnun-

Nonnunquam enim feliciter bellum geritur, in hostium exupectantia, & nummorum pecunia.

3. *Commeatus & victualia*, Non minor enim victus & ciba riorum quam armorum habenda ratio, R. A. zu Regenspurg. *de anno* 1532. §. vnd nachdem die hohe &c. & tandem 4. *Arma & armamenta*, ad propellendam hostium vim, ut adsint, necesse erit.

Commeatus.

Arma.

CAPIX.

DE PROGRESSU & EXItu belli eog. pertinentibus.

1. *Medium & Progressus belli*, in ipso regimine bellico, militum dispositione castrorum locatione, & tota rei militaris scientia consistit, de qua equidem nonnulla politici, sed meliora dictitant, circumstantiæ & milites generosi.

Progressus.

2. In *exitu belli* accedit *finis* belli scilicet gestum, qui *pax* est.

Exitus & finis pax.

3. *Pax* autem vel *temporalis* vel *perpetua* est.

4. *Pacem temporalem* nuncupo *inducias* quæ sunt conventio publica inter mutuos hostes, de usu armorum pro tempore intermittendo.

Inducie.

5. Judicias, non modo princeps, sed etiam Duces belli inter sese inire possunt, quæ si tamen longæ forent, cum scientia principis.

6. *Pax in specie* sic dicta est conventio publica, perpetuo ab armis cessandi.

7. Ut autem bellum indicere est soli9 principis, sic etiam sol9 princeps pacem finire & firmare potest, ita ut si alii privati pacem inierint, non pri9 valebit, quam illam princeps ratam habuerit.

8. Ad utramq; pacem adigimur vel *pactâ victoriâ*, vel *intervention*e, & amicabili tractatione.

9. Utrovis modo ubi pax offertur, in consultatione de pace, pax amplectenda, modo tamen honesta nõ turpis; est quippe principis maximi pacem unam in numeris potiorem triumphis judicare.

10. *Vitæ-*

10. *Victoria* si cui obvenit ea temperanda, namq; victoria, quæ victori insolentiam parit, clade pestilencior est. *Victoria.*

11. Deniq; de in bello *captis* hoc loco disceptari solet, capiuntur autem in bello tum 1. personæ, cum 2. bona & res. *Capta.*

12. *Personæ* in bello captæ, nec cædendæ c. *ult.*, 14. *quæst.* 4. sed olim servituti mancipabantur. §. *servi a.* 3. *just. de jur. person. Hodie* apud Christianos servitute obsoleta, in ejusdem locum successit vulgo *rancon* oder Lösegeldt.

13. *Bona* in bello legitimo, jure Gentium capientium fiunt arg. §. 17. *just. de rer divis.* & simil. text. in bello tamen injusto, aut publicâ auctoritate non indicto, sive violenter, sive alio modo, occupata bona, non fiunt capientium.

Hæc de bello in specie sic dicto.

14. *Duellum* est pugna duarum partium citro formam belli dimicantium. Idq; si duo tantum manus conserant, singulare certamen vocant. *Duellum.*

15. Duellum Doctores variè dividunt ego hoc loco saltem in *publicum & privatum*.

16. *Publicum duellum* est, quod publicæ utilitatis causa, propter Ecclesiæ & patriæ salutem committitur. Quod duellum in publicis litibus abbreviendis nonnunquam licitum arbitrantur, melius enim est, ut duo tantum pugnent, quam universa civitas & provincia sanguine civili perfundatur.

17. *Privatum duellum* nemini concedendum est, sed si quas putas te habere actiones, actionibus experiaris.

Eatenus de administratione militari.

CAP. X.

ET ULTIMUM DE CAUSIS & modis *Imperium*, *Principatus & Respubl.* diminuentibus *seu* evertentibus *eorumq;* remediis.

1. Ultimum in generali juris publici pertractatione modo restat, quod consistit, in causis & modis Imperia, principatus & Respublicas diminuentibus seu evertentibus, eorumq; remediis.

2. Nam

2. Nam cum hactenus, quemadmodum bonâ & fideli administratione cõservari possint diximus, jam ubi illa cessarit, quæ mala inde consecutura, paucis attingemus.

3. *Causæ* diminutionum & eversionum vel sunt *generales*, vel *speciales*. | *Causæ diminutionis.*

4. *Generales* sunt, quæ cuivis Imperio vel Reipublicæ nocere possunt, Quas nonnulli Politicorum referre conantur, verum ego magis in facto easdem consistere, quam certis observationum regulis contineri censeo. Et toties easdem occurrere & irrepere, quoties, aliquid in administratione rectè instituenda desideratur.

5. *Speciales* causæ & morbi sunt, quibus proh *Germaniæ* nostræ patriæ charissimæ status laborat, quibus nisi remedium competens quæratur, *Monarchia*, quam hactenus depinximus & tot encomiis, ornavimus magna cum Germanorum turpitudine ruinam minitatur.

6. *Proveniunt* autem *hæ causæ*, vel *ab exteris* vel *ab ipsis Germaniæ incolis*.

7. Inter *exteros*, qui non solum causas eversionum in Germania seminant, sed etiam Imperio sua detrectant, signifer est *Pontifex Romanus*, qui quæ sæpissimè bella & extrema pericula Imperio creavit; historiæ cumulatim

latim referunt, idq; ex propria & innata dominandi libidine.

8. Huic adde reliquorum circumiacentium Regum & populorum fraudes, quas parant Imperio, circumspice enim, & quemadmodum excussa Imperii superioritate, aquilam ab omni parte spolient, & deplument, res ipsa ostendit.

9. *Causæ ab ipsis Germaniæ incolis* provenientes, partim *Imperatores*, partim *Imperii status* & membra respiciunt.

10. *Imperatores* quæ respiciunt, plerunq; sunt 1 prodigalitas, uti *Caroli 4.* & 2. ignavia; Ejusdem filii *Wenceslai* & aliorum. Quibus nonnunquam accedit, 1 Justitiæ denegatio, 2 Juris & legum varietas & incertitudo, & plurima alia Imperii gravamina, passim in *Recessibus Imperii* aliisq; scriptis exstantia.

11. *A parte statuum & membrorum* Imperii 1. causa principalis est religionis diversitas. 2. principum & statuum Imperii æmulatio, odia intestina & dissensiones, quas peculiariter, Imperio ruinam minari, præsagiebat *Carolus 4. Imperat. in A. B. princ. 3.* Legum transgressio & constitutionum Imperii violatio. 4. Quibus demen annectenda deploranda socordia & cæcitas, quam nobis de Impeerio nunquã interituro imaginamur, ac propterea, media & remedia externa negligimus. 12. Hasce

12. Hasce igitur causas insequuntur *modi* quibus Imperium minuitur qui ex iis ceu effectus ex causa profluunt. Nullus autem modorum est latitatior, quam quæ in *exemptionibus & defectionibus* consistit. | *Modi.*

13. Definitur hæc *exemptio*, quod nihil aliud sit, quam vindicatio status ab immediatâ Imperii subjectione.

14. Hujus tria sunt præcipua genera. *Primum* est, (de quo proprie hoc loco) quando aliqua Imperii provincia, ditio vel Regnũ totaliter ab omnimodo tam quoad onerum contributionem & præstationem, quam quoad superioritatis cognitionem, ac Imperii Romano-Germanici jurisdictione eximitur. Qua ratione *Italia*, *Hispania* &c. sunt avulsa.

15. *Secundum genus* est, quando Regnum ditio, civitas, Imperii Romani, quoad necessariam onerum contributionem & omnimodam subjectionem à corpore Imperii avellitur, Imperii tamen majestate non spretâ. Qui & cives *honorarii* ut *Helvetii* & alii, dicuntur.

16. *Tertium* exemptionis genus est, quã de aliquis status Imperii, ab immediata Imperii subjectione eximitur, & mediatus efficitur, subjiciens scilicet se alii Imperii st-

tui, uti in multis civitatibus videmus.

Remedia. 17. *Remedia* quæ huic malo quærendo quærenda sunt vel *præservativa* vel *recuperatoria.*

18. In *præservativis* breviter notandum illud vulgare *principiis obsta, sero medicina parabatur.* Reliqua Imperatoriæ majestati, sereniſſimis Dominis electoribus & potentiſſ. Germaniæ proceribus, quibus procul dubio, salus Imperii (cujus sunt viscera, & columnæ) cordi est, relinquenda, nec enim contra intentionem & institutum hiſce pluribus immorandum.

Soli DEO Gloria.

Imperio salus & tranquillitas ſempiterna.

FINIS.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn817498826/phys_0282
DFG


Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn817498826/phys_0284
DFG

...bilius eâ
...es eru-
...1. Cap.

...ssâ de
...ur Li-
...Et: E-
...legunt.
...noti in-
...nta ur-
...atem &
...essitudo
...m inso-
...è locus
..., cum
...garios,
...perian-
...e, lon-
...e, uni-
...dus est.
...m gre-
...tionem
...quæ-

Nostri milites rarò exercitati.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn817498826/phys_0285
DFG